A

TI

Ezzautier Gio. Lorenzo

ACCADEMIA DI MEDICINA DI TORINO

PYREXIARUM

ORDO QUARTUS

FASCICULUS

DE *HAEMORRHAGIIS*

ET

HAEMORRHEIS

E III 29

DE HAEMORRHAGIIS GENERATIM

Art. I.

DEFINITIO, DIVISIONES, SYMPTOMATA.

I.

Haemorrhagiae nomine venit sanguinis e propriis vasis tum arteriosis, tum venosis effusio ab *αἷμα* sanguis, et *ῥήγνυμι*, erumpo.

II.

Prout autem sanguis vel e corpore per quamque viam erumpit: vel in internas partes effunditur, haemorrhagia *externa*, vel *interna* dicta est. Verum cum quae interius fiunt sanguinis effusiones haberi consuescant, ut causae morbosae, eaeque plus minus graves pro maiori, minorive effusi sanguinis quantitate, et pro varia partium, intra quarum cavitates, et spatia effunditur, functione, ac dignitate; hinc sub nomine haemorrhagiae tantum comprehenduntur sanguinis ad exteriora corporis effusiones; quare internae sanguinis effusiones tunc

solum haemorrhagiae nomen obtinent quando effusus prius in his cruor mox ad exteriores corporis partes quacumque ratione prorumpit.

III.

Quum porro tantum absit, ut quandoque sanguinis profluvium constanter pro morboso habendum sit, ut interdum cum utilitate sanguinem profundi nonnullis in adiunctis frequentia testentur observata; nunc saluti, et oeconomiae animalis legibus eiusdem evacuatio quodammodo necessaria sit, sicuti in sequiori sexu maxime contingit; hinc *haemorrhagiae* nomine propius venit apud Pathologos sanguinis praeter naturae institutum sat insignis evacuatio sive ex assuetis locis maiori copia, aut intempestive profluat, sive ex inassuetis eiiciatur cum aliis morbosis symptomatibus.

IV.

Ex locorum unde sanguis erumpit varietate, varium nomen obtinuit haemorrhagia: fluxus sanguinis ex naribus *epistaxis*, *rhinorrhagia*, ab aliis simpliciter haemorrhagia dicta est. Si ex pulmonibus sanguis profluat *haemoptysis* audit, vel *pneumonorrhagia*: *haematemesis* seu vomitus cruentus, si ex ventriculo: *haematuria*, seu mictus cruentus si ex urinariis viis: *haemorrhoidum*, vel *fluxus haemorrhoidalis* nomine indicatur sanguinis ex haemorrhoidalibus vasis excretio: fluxus sanguinis ex utero *menorrhagia*, *methrorrhagia* nuncupatur.

V.

Speciatim quoque *stomacace* audit sanguinis fluxus ex gingivis: *hemoptoë* ex ore, et faucibus: *hepatirrhoea*, vel fluxus hepaticus dicitur sanguinolenti seri per alvum evacuatio. *Melaenam*, vel morbum nigrum vocant quum

per vomitum simul, et per alvum sanguinis, aut humoris sanguinolenti atri copiosa contingit eiectio. Rursus *cystirrhagia* sanguinis ex vesica: *urethrorrhagia* eiusdem ex urethra egestionem significat, et sic porro: sudorem sanguineum raro admodum observatum *haematopedesim* dixerunt.

VI.

Multis modis a propriis vasis sanguinem extrudi tradunt Pathologi; idest 1.° per dilatata vasorum ostilia: haemorrhagiam per *anastomosim* hanc vocant, qui modus cum nuperioribus anatomicis notionibus parum consentit; 2.° per *diapedesim*, quando per secedentes ab invicem fibras membranarum constituentium vasorum parietes sanguis exsudat; 3.° per *diaeresim*, cum haemorrhagia contingit a soluta vasorum continuitate ex caussa mechanica secante, pungente, lacerante; 4.° per *diabrosim*, seu continuitatem vasorum solutam a causa acri, rodente; 5.° per *rhixim*, vel *rhexim* si vasorum ruptio contingat a vi sanguinis ipsa violenter distendentis illata. Verum adnotante iam summo Burserio, sicuti diaeresis cum rhixi ideo convenit, quod in utraque per vasorum solutionem violentam sanguis effundatur; ita et anastomosis cum diapedesi quod in istis sine continui solutione sanguis extillet, aut transudet: etsi tamen haemorrhagias per simplicem diapedesim non ita facile contingere posse suspicetur clarissimus Frank; per hanc ipsam potius naturalium secretionum instar fieri credibilius.

VII.

Plures traduntur haemorrhagiae divisiones. Prout scilicet primariam constituit affectionem, vel alterius

morbi soboles est, aut symptoma, *primaria*, *essentialis*, aut *secundaria* vel *symptomatica* dicitur. Ab eveniendi modo *habitualis*, vel *accidentalis*, *periodica*, vel *vaga* dicta est. *Adventitia* etiam nunc audit, vel *acquisita*, nunc *haereditaria*. *Acuta* etiam, vel *chronica* dicitur a duratione. *Traumatica* vocatur haemorrhagia, quae a quocumque modo agente violenta caussa producitur. *Spontaneam* vocare consuescunt, quae sponte ab internis causis exoritur, de qua speciatim agere nostri est instituti. Neque omittenda haemorrhagiae divisio in *idiopathicam*, et *sympathicam* sicuti non desunt observata, quibus *epidemico* quasi genio haemorrhagiae dominari visae sunt.

VIII.

Memoratae (par. ant.) aliaeque traditae ab Auctoribus haemorrhagiae divisiones etsi non contemnendae, tamen illa in primis cum ad phaenomenorum aetiologiam assequendam, tum ad aequam curationem suscipiendam accommodata se se offert, qua in *activam*, et *passivam* partita est, prout nempe vel ab adauctis vasorum vitalibus viribus, vel ab hisce imminutis proficiscitur. Activa haemorrhagia aut etiam hypersthenica dicta frequentissime diathesis inflammatoriae symptomata profert: iuvenibus ac robustis plethoricis magis familiaris haec est, ac vere potius et aestate adgredi consuevit. Passiva ex adverso vel hyposthenica, aliis *haemorrhea* vocata debiliores, laxa solidorum compage praeditos corripit, nullique parcit aetati, tempestati, vitae adiunctis, quae tamen diversitates non impediunt quominus utraque indiscriminatim ex multiplici caussarum actione quocumque in vitae adiuncto, et anni tempore

queat locum habere. Neque pyrexiae praesentia, vel absentia unde etiam in ſebrilem, et non febrilem partita est haemorrhagia, sufficere videtur ut activae a passivis haemorrhagiis secernantur; in his siquidem non semper desideratur febris, sicuti illae frequenter absque febre decurrunt. Quare hac in re desciscimus cum aliis a Cullenio activas haemorrhagias ad *pyrexias*, passivas ad *apocenoses* referenti. Neque firmis momentis fulciri neotericorum sententiam arbitramur, qui veterum iudicia spernentes, distinctionem hanc in praxi perutilem flocci facientes, haemorrhagias quasque indiscriminatim activas habendas esse, rentur.

IX.

Non parvi demum facienda est haemorrhagiae distinctio ab effectubus salutaribus vel noxiis in *criticam*, et *symptomaticam*; siquidem tanti haec interest in indicationibus eruendis, ut, hac omissa, gravibus esse queat erroribus locus, quemadmodum de febribus, ac de inflammationibus agentes non semel notavimus.

X.

Illud meminisse iuvabit haemorrhagiam ex aliis praeter quam ex uterinis vasis in sequiori sexu exortam non raro catameniorum *vicariam* esse, et similia haemoptysis non minus, quam epistaxis, haematemesis, haemorrhoidalis fluxus, aut extillantis etiam ex mammarum papilla cruoris, caeterarumque a consueta, ac naturali sede menstrui fluxus aberrationum plurima colligere licet apud Auctores observata. Id etiam constat de aliis sanguinis fluxibus quocumque in sexu: epistaxis siquidem haemorrhoidalem fluxum compensare visa est, vicissim, et sic porro de aliis.

XI.

Prodromis nonnullis signis praenuntiari frequenter consuescunt haemorrhagiae. Cum vero haec signa varia omnino sint pro varietate partis, unde futura est haemorrhagia, singula quapropter expediendi opportunior erit locus quando de singulis speciatim agemus. Id tantum nunc animadvertisse sufficiat, haemorrhagias activas praecedi consuevisse ex sensu caloris, titillationis, pruritus, tensionis in parte, aut circum eam unde fluxurus est sanguis, aut in partibus consentientibus: orgasmi, congestionis saepe antecedere indicia, pulsum plenum, durum tangi, aliquando (quod tamquam privativum futurae haemorrhagiae ex naribus praenuntium esse Veterum docuit, et subsequens etiam confirmavit observatio) *dicrotum*. His accedunt horroris, aut frigoris sensus, iactationes, inquietudines, febris, praeterquamquod in illis, quae oculis patent, locis, congestio, venarum inflatio, rubor etiam observantur.

XII.

Atquae haec quidem omnia (par. ant.) aliaque quamplurima peculiaria, et, prout sanguinis impetus ad caput, pulmones, uterum, etc. dirigitur, varia, quae contingunt pathemata manifeste evincunt, multa in haemorrhagiis activis esse cum inflammationibus communia, quod magis comprobat reiecti sanguinis indoles ac frequens in hoc educto coriaceae crustae praesentia. Haec magis confirmant haemorrhagiae praepostere suppressae in inflammationem transitus: subsequens haemorrhagiae inflammatio, huiusque in abscessum transitus: levamen ex methodo antiphlogistica, similia. Affinitas verbo est inter inflammationes, et

haemorrhagias ; *sedes enim* (ad rem ait Sprengel) *communis est in vasis capillaribus, eorum vi hactenus aucta, ut praeter vapores, et particulas sanguinis propriores sanguinem ipsum accipiant, in haemorrhagiis etiam excernant.*

XIII.

Aliter res se habet in passivis haemorrhagiis ; has enim vix ulla praecedunt signa congestionem, aut locales turbas ex adaucta vasorum vi arguenda ; enim vero repente saepe et inopinato vel ex levibus accedentibus caussis, non raro sympathicis, funditur sanguis, isque interdum non ex uno tantum, sed ex pluribus simul locis, et pulsus depressio, virium languor, faciei, et totius corporis pallor, frigus, et alia bene multa debilitatis concomitantur symptomata non semper ex ipsius eiecti sanguinis copia deducenda, quae affectionem magis contumacem, ac periculi saepe plenam praesagiunt. Sanguis in hac tenuis solutus, difficilius concrescens emittitur.

XIV.

Iam vero quemadmodum plerisque in adiunctis (par. III. et X.) haemorrhagia si nimis parca non sit, salutaris est tum relate ad universum corpus, tum respectu nonnullarum partium, quae nimia sanguinis quantitate, aut impetu gravantur ; ita nullo negotio patescere possunt damna, quae a iactura largiore sanguinis proficiscuntur, vel a defectu vitalis, viriumque omnium conservatoris, et reparatoris fluidi, vel a subducto solidis partibus stimulo. Hinc functionum languor, depravatio, inertia, concidentia, ac demum omnimoda abolitio subsequantur necesse est, vel sal-

tem in multiplicem chronicorum morborum catervam corpus tractu temporis trahatur, nisi opportuno regimine, aptisque remediis obviam fiat. Vis quapropter motricis, vel sentientis perversio; languoris et lassitudinis sensus; horrores, frigus, totius corporis pallor, sensuum hebetudo, hallucinatio, capitis obnubilatio, spasmi, convulsiones, corporis modo fugaces ex levi motu exaestuationes, lipothymiae, syncopes, cordis palpitationes, pulsus celeritas, frequentia, depressio, irregularitas, secretionum, excretionumque turbatio, secretorum, et excretorum maior, vel minor a naturali indole recessus, ac depravatio, macies, contabescentia, atrophia, oedematosae inflationes, hydropes exorta memorantur. Nec rara sunt exempla, quibus constat brevissimo temporis spatio aegrotantem cum sanguinis praecipiti fluente unda, vitam amisisse, convulsionibus frequenter scenam claudentibus.

Etsi tamen persaepe videre sit lente, ac sensim succedentem insignem etiam sanguinis iacturam absque tam gravi discrimine contingere.

XV.

Ex his consequitur, pro vasorum unde sanguis fluit hiatu, diametro, pro celeritate ac impetu quo is eiicitur, pro varia partis, quae haemorrhagia laborat, structura, functione, pro causae, qua haemorrhagiam vel activam vel passivam induxit, varietate, pro sexus, aetatis, irritabilitatis, sensibilitatis, constitutionis, aliorumque adiunctorum ratione, varia omnino enasci pathemata, variosque ex haemorrhagiis effectus se prodere. Mirum etiam quam facile simplex animi pathema quo meticulosi nonnulli repente prehenduntur terrore perculsi ab aspectu pro-

fluentis etsi non multa copia cruoris in causa sit, cur in activis ipsis haemorrhagiis, et robusto caeteroquin, ac bene valente corpore, brevi debilitatis, ac concidentiae symptomata, syncopes, lipothymiae observentur! Ex quibus patet, sedulo in omnes effectus esse inquirendum non minus quam in ea, quae haemorrhagiam praecesserunt, in huius caussas, in corporis habitum, temperamentum, caeteraque aegrotantis peculiaria, ac privativa adiuncta, ut qui caeteroquin tum in diagnosi, tum in curatione subrepere possent, pro viribus devitentur, errores.

CAUSAE. PROGNOSIS

I.

Inter remotas haemorrhagiae caussas veniunt ea quaecumque sanguinis impetum ad partem augere valent; tum multiplicia vasorum vitia, quibus addunt vitiatam ipsius sanguinis crasim. Stimuli ergo quicumque directe, vel indirecte vasorum actionem excitantes, animi affectus vehementes, aromatum, ac spirituosorum abusus: lautiores epulae; plethora cum universalis, tum peculiaris, absoluta, vel respectiva: nimiae praesertim in non assuetis exercitationes, cursus veloces, equitationes praecipites: caloris, ac frigoris intensi actio: atmosphaerae repentinae mutationes; huius ponderis imminutio; spasmi, ligaturae, compressiones; corporis positiones circuitum sanguinis praepedientes: stases sanguinis variae, congestiones, orgasmus; feriantes aliarum partium evacuationes sanguineae; vulnera, ulcera, irritantia, acria vario modo agentia; lapsus, ictus, concussiones inter magis obvias occasionales haemorrhagiae causas numerantur. Ex peculiari vero vasorum textura, sensibilitate, mobilitate, irritabilitate, vigore, aliove vitio, et causarum speciali in determinatae partis vasa actione ita ut nunc facilius, eorum vi concitata,

extra ipsa, his dilatatis, aut ruptis, profundatur sanguis, nunc eorumdem vasorum imminuta resistentia difficilius coërceatur, ratio peti potest, cur minus potius, quam alterius partis subsequatur haemorrhagia, atque haec modo activa sit, modo passiva.

II.

Quoad praedisponentes caussas pertinet, sicuti temperamentum sanguineum, firma vasorum compages, et sanguinis crasis ad activas; ita temperamentum lymphaticum, ac nervosum, laxa solidorum compages, vires a diuturnis morbis, vel evacuationibus exhaustae, inedia, prava, et dyspepta alimenta, organica nonnulla vitia, dyscrasiae ad passivas haemorrhagias reddunt procliviores. Animadvertendum tamen, memoratas caussas, quae aliquando ad haemorrhagiam praedisponunt, interdum etiam occasionalium vice fungi. Peculiare item vitae genus, non minus quam illud, cui quisque navat, artis exercitium, in causa est cur una potius, quam altera pars fatigetur, aut quoquomodo debilitatem contrahat uti et superstites ipsarum partium, organorumque debilitates ex praecedentibus caussis quibuscumque, immo ipsamet iam determinatae partis praegressa haemorrhagia in hanc quoque procliviores facit, unde frequens, artisque dein praesidiis demum saepe reluctans recidiva. Id etiam observatione constat, pueritiam praesertim epistaxi, adolescentiam, et iuventutem huic, et haemopthysi, virilitatem haemorrhoidibus, senectutem iisdem, nec non haematuriae frequentius subiici. Quod ad sequiorem sexum spectat, etiam praeterlapsa aetate, qua generatim catamenia solent subsistere, haud immunis a methrorrhagia evadit in posterum,

sicut et ipsae utero gerentes eidem cum proprio, et foetus discrimine non raro subiacent. Hinc orta methrorrhagiae distinctio in *menstruam*, in methrorrhagiam *gravidarum*, et methrorrhagiam *vetularum*, quibus illa addenda, quae vel immediate partui succedens profusa, brevi interdum puerperam exinanire valet, vel subsequenti puerperii tempore multis de caussis exorta non leve frequenter negotium facessit.

III.

Illud addidisse iuvabit, haemorrhagias induci modo ab universi systematis vasorum vitio, modo a locali tantum, nec raro contingere, quemadmodum scite advertit Frank, et summi interest in curatione attendere, in haemorrhagiis localem debilitatem cum universali vasorum excitatione complicari.

IV.

Ex memoratis multiplicibus caussis vario modo agentibus, quae contingat morbosa vasorum conditio, in qua haemorrhagiae caussa proxima (traumaticis missis) queat reponi, haud ita facile statui potest, ut nullus dubitationi relinquatur locus. Illud interim constat, a vasorum vitalibus proprietatibus a naturali statu aberrantibus actionem eorumdem necessario diversimode adauctam, imminutam, perturbatam iri. Illud quoque novimus, caussarum morbosarum actionem directam, aut indirectam, quocumque autem modo ipsae hanc exerant, supra vasa, adeo variam esse, ut diversi ex iisdem caussis in oeconomia animali producantur effectus. An non haec diversitas effectuum ab actione caussarum a vitiatis ipsorum vasorum vitalibus proprietatibus derivanda? Porro, si concipiamus, vasorum

vitiatas vitales proprietates cum roboris incremento coniungi, *activae*; si cum huius decremento *passivae* haemorrhagiae caussam proximam quantum hactenus proferre licet, non sine verosimilitudinis fundamento attingere posse videbimur.

V.

Caeterum qui fiat, ut ex stimulis supra vasa agentibus modo simplex congestio, modo inflammatio, modo haemorrhagia producatur, modo haec inflammationem subsequatur, aut praecedat? Cur salutares nonnunquam haemorrhagiae observentur nonnullis in morbis, in quibus minima etiam sanguinis iactura pertimescenda videretur? Cur, arte ipsa invita, nihilo tamen minus interdum sibimet constans natura sanguinem uberius fundere pergat vel ex eodem, vel, si impediatur, ex aliis locis? Haec, aliaque eius generis sunt, ut quamvis ad eorum aethiologiam explicandam exploratae nunc temporis solidi vivi conditiones non minimam lucem offundant; maxima tamen ex parte in intimis naturae penetralibus recondita adhuc dum esse fateamur, oportet, ita, ut ex nonnullis tantum, quae magis obvia sunt, non tamen aeque constantibus phaenomenis illatae inductiones, probabiles utique coniecturas, non certam rei demonstrationem proferre saepenumero valeant.

VI.

Minus conceptu difficile frequentiores esse haemorrhagias ex illis partibus, quae molli, spongiosa, rariori constant structura, copiosioribus vasorum sanguineorum propaginibus sunt instructae, ac minus firma membrana obvelatae. Minor enim irruenti san-

guini resistentia opponitur, sensibiliora vasa stimulorum actioni magis patent, uberius sanguis appellit, capillare systema obruit, indeque erumpit. Sane frequentiores haemorrhagiae in partibus mucosa membrana obductis, naribus, bronchiis, ventriculo, intestinis, vesica urinaria, utero, vagina. Interim non inficiandum, vim illam, quam *turgorem vitalem* dicunt, non minimum conferre ad haemorrhagiae ortum, et aethiologiam explicandam illis in partibus, in quibus a stimulorum actione turgoris huiusmodi phaenomena evidentiora sunt.

VII.

Neque etiam valde ambigendum esse videtur, quin ad illorum opinionem accedamus, qui spontaneas haemorrhagias ex interna maxime causa proficiscentes per morbosam exhalationem locum habere contendunt, ut iam Burserius ipse innuisse videtur; dum haemorrhagiam per anastomosim locum habere inquit *per dilatationem arteriolarum exhalantium factam, per impetum sanguinis, vel canaliculorum laxitatem, vel orificiorum atoniam.*

VIII.

Quamvis ergo ab internis haemorrhagiae caussis vasorum rupturam expungendam non esse ultro largiamur; haemorrhagias tamen absque ulla ipsorum vasorum solutione contingere pronum est concludere, et explicare, quod de activis, et passivis intelligendum est. Enim vero praeterquamquod multum differunt coniuncta, quae haemorrhagias a sauciatis quocumque modo vasis enatas comitantur, ac consequuntur, multa profecto sunt, quae aliarum originem absque vasorum la-

ceratione testantur. Huc spectant praesertim signa spontaneas haemorrhagias praecedentia (art. I.) : sanguinis evacuatio per vices facta, modo suppressa, iterumque renovata, alias suppressa in una parte, apparens in alia : nervosae actionis manifestus influxus in his excitandis, aut sistendis : nullum omnino cicatricum, aut erosionis indicium per autopsiam detectum in partibus, in quibus frequentius subsecutae sunt haemorrhagiae ; an non sane, ut animadvertit Bichat, cicatricum infinitam congeriem uterus exhiberet in provectis foeminis ? Refragatur tamen centies repetita in hanc rem inquisitio.

IX.

Utrum plerisque in adiunctis ipsorum vasorum spasmus ex variis nec semper cognitis, nec semper adeo facile explicabili modo agentibus caussis excitatus aliquam conferat symbolam ad phaenomenorum nonnullorum, quae haemorrhagias antecedunt, comitantur, aut subsequuntur, aethiologiam assequendam, non desunt qui opinentur, atque affirmativam ideo amplectantur opinionem, quod spasmus cum roboris incremento, aeque ac cum decremento consociari queat.

X.

Atque hactenus allata de haemorrhagiae aethiologia pro munere adumbrata sufficiant. Praecipua rationum momenta, quibus haec innititur doctrina cum illis collata, quae pathologicae docent observationes, eo ducere possunt, ut quae saltem probabiliora sint, et oeconomiae legibus consentanea, assequi liceat.

XI.

Ex illis quae de haemorrhagiae divisionibus, sympto-

matibus, causis, et speciatim de effectibus, qui haemorrhagias subsequuntur dicta sunt (art. I.) plura iam licebit eruere ad earumdem prognosim spectantia. Hanc vero ex omnibus diligenter consideratis, compositisque tum inter se, tum cum aegrotantis constitutione, aetate, sexu, caeterisque adiunctis non solum eruendam esse nunc innuisse sufficiat, sed diligentem habendam esse rationem tum temporis, quo fluit sanguis, tum loci, unde fluit, nec non qualitatis, et quantitatis eiusdem sanguinis, celeritatis, et impetus, quo eiicitur, eorumque omnium, quae inde consequuntur tum in universo corpore, tum in singulis partibus, phaenomenis, atque effectibus.

XII.

Sicuti autem plurima sunt inter prognostica signa, quae singularum partium haemorrhagias propius respiciunt, harumve privativa fere sunt; illa ideo suo quaeque loco expendendi opportunior erit occasio.

XIII.

Illud generatim statui posse videtur, activas haemorrhagias, nisi modum excedant, haud ita grave per se facessere negotium, imo metuendum saepe esse, ne praepostere cohibitae maiori esse queant detrimento: passivas vero magis esse pertimescendas, maxime si ex generali vasorum debilitate proficiscantur. Quod si ex locali tantum debilitate exorta fuerit haemorrhagia, quamvis non careat discrimine ex insigni sanguinis iactura; alias tamen, quum vel alterius evacuationis locum tenet, vel habitualis facta est, minorem incutit metum, neque interdum absque utilitate esse potest.

XIV.

Id quoque sat patet, eo maius periculum ex haemorrhagiis impendere, quo ex magis insignibus vasis contingunt, quo profusior, ac breviori tempore fit sanguinis eruptio: si in exhaustis corporibus, teneris infantibus, gravidis, senibus, locum habeant; et vicissim si ab organico vitio sobolescant artis auxilio refractario, si sanguis tenuis, solutus eiiciatur: si autem vires hinc magis decrescant, pulsus concidat, deficiat, extremorum frigus prehendat, syncope crebro invadat, convulsiones accedant, proximi periculi iam plena res est.

XV.

Ex contrariorum lege sat manifestum fit, quando meliorem fas sit praestolari eventum. Notare tamen expedit lypothimias, aliaque virium concidentiam denotantia signa non semper omnino terrere debere; ipsum enim succedens animi deliquium ab insigni sanguinis profusione in causa interdum est, cur sistatur haemorrhagia, et sanguis ipse ex vis vasa moventis defectu concrescat, ac sibimetipsi non raro praecludat viam, vasis fortasse etiam ipsis a spasmo constrictis: hinc cur bono interdum omine contingat animi deliquium in activis maxime haemorrhagiis, quod iam advertit summus Hippocrates inquiens: *Sanguinis venarum suppressiones faciunt animi deliquium, figura alterata, interceptio, linamentum intortum, appositio, deligatio.*

Art. III.

CURATIO.

I.

Ut aequa et rationalis haemorrhagiae curatio suscipiatur, variae sese offerunt indicationes, quarum quae propius ad speciales haemorrhagias spectant suo loco expendentur; illas tantum, quae generalem medendi methodum respiciunt nunc prosequemur. Et 1.° quidem numquam fugiat oportet diligens contemplatio naturae ipsius conatus, unde constet, utrum ex sanguinis fluxu salutarem in oeconomia animali mutationem ipsius vires moliantur: ex quo consequitur naturae opus nullomodo tunc esse turbandum; noxium enim profecto foret haemorrhagiam hoc in casu sistere. Quemadmodum vero neque semper licet aequum omnino assequi naturae virium gradum, ita ut modo impares hae sint, alias caussae accedant ipsius nisum turbantes: modo ipse sanguinis fluxus, qui sub certo moderamine adauctam vasorum vim infringit, vel turbatum sanguinis circuitum restituit, vel alia in functionibus impedimenta removet, caussasque morborum interdum gravissimas avertit, sibi tamen relictus ad necem usque produci queat; perspicuum est quanti intersit ad haec omnia ex antecedentibus, inhaerentibus, et consequen-

tibus deducenda attendere, ut vel conamini naturae ipsius obsequamur, vel caussis, quae ipsius actionem elidunt, removendis, infringendisque nitamur, vel haemorrhagiam, quae vires pessumdat, compescere satagamus.

II.

Itaque si sermo sit de haemorrhagiis activis, quae in praevalido corpore contingunt, quotiescumque modum non excedunt, antiphlogistica tunc methodus in usum ducenda. Corporis scilicet, et animi quies, opportuna corporis positio, atmosphaerae circumambientis prudens refrigerium: diaeta tenuis, potiones acidulatae, nitratae, alias mucilaginosae: clysteres pro re nata, aut blanda, si non vetet haemorrhagiae sedes, eccoprotica: devitatio, verbo, eorum omnium, quae vasorum iam nimis incitatam actionem adaugere valent: eorumque admotio, quae aliorsum stimulum revocare possunt, ea sunt quae omnem saepe curationis paginam absolvunt.

III.

Quod si cum plethorica constitutione, temperamento sanguineo, aetate vigente pulsuum robur, durities, congestionis aut futurae effusionis in aliquam internam partem adhuc subsit metus, ad venae sectionem confugiendum est. Sanguinis autem ducendi copiam, et loci unde ipsum ducere expediat selectum, aegri vires, aetas, pulsuum robur, sedes haemorrhagiae, caussarum, unde orta est, cognitio, caeteraque adiuncta indicabunt. Profecto sedis haemorrhagiae rationem habendam esse, non minus quam effectuum, qui in peculiari parte possunt ab eadem inde nasci, monent cordati Clinici.

Hinc fit, ut eo liberalius, et fidentius ad sanguinis missionem confugere praestet, quo maior est partis dignitas, et quo gravius inducitur congestionis, effusionis, aut alterius laesionis in ipsa parte periculum. Hinc cur haud etiam insignis cruoris quantitas e pulmone reiecti, caeteris paribus, facilius phlebotomiam exposcat, quam epistaxis etsi uberior: cur minus evidens sit huiusce auxilii necessitas in haemorrhoidali fluxu, quam in haematuria, facilius vicissim locum habeat in hac, quam in methrorrhagia.

IV.

Sicuti autem, ut iam animadvertimus (art. antec.) non raro vel ab ipso haemorrhagiae exordio animi deliquia, aliaque virium concidentiam indicantia symptomata facile prehendunt, cavendum maxime, ne haec a simplici animi pathemate producta, adeo facile imponant, ut a venae sectione ceteroquin indicata detorqueamur cum aegrotantis discrimine. Quare eius generis pathemata sedulo distinguas oportet ab illis, quae profusam iam nimis sanguinis effusionem subsequuntur. Hinc quocumque in casu ad aegri moralem conditionem attendendum quoque est, ut, dum opportuna in usum ducuntur auxilia, eodem etiam tempore eiusdem leniatur animus, aut, oppositis prudenter excitatis animi pathematibus, erigatur, quo ipsius metum moderari, aut excutere fas sit. Quod si sermo sit de animi deliquiis, quae subsequuntur cessantem iam haemorrhagiam (§ XV. art. II.) cavendum tunc ne, validioribus praepropere stimulantibus in usum vocatis, denuo vasorum nimis incitata actione, haemorrhagiam quoque revocemus. Interim vero in sanguinis missione ce-

lebranda id semper cavendum, ne fortasse, quod adhuc superest virium exhauriatur, atque in chronicam aegritudinem aeger coniiciatur. Rursus notare expedit, sedis haemorrhagiae, non minus quam caussae, unde exorta est, aut sustinetur, tum symptomatum adiunctorum contemplationem eo ducere, ut Clinicus statuat locum, unde sanguinem mittere potius expediat, prout nempe vel universalis systematis excitatae actioni est occurrendum, vel ipsius partis affectioni prospiciendum, vel ab affecta parte ad aliam sanguinis impetus est deducendus. Hinc cur remotarum partium tepida balnea, fotus, frictiones, cucurbitularum applicatio saepe insigne emolumentum attulisse visa sunt. An huc etiam faciunt ipecacuanhae, nec non tartari emetici refractae doses in nonnullis haemorrhagiis commendatae? An haec remedia, ut et digitalis, systematis vascularis vires infirmando agunt?

V.

A suppressis, aut imminutis habitualibus, aut naturalibus sanguinis evacuationibus non raro in altera parte exoritur haemorrhagia, et maiori saepe cum discrimine: tunc fluxus ad pristinam sedem revocatio in votis habenda, sanguinem ad illarum partium vasa alliciendo, unde fluxus conticuit. Ita suppressum ex. gr. catameniorum, haemorrhoidum fluxum, hyrudinum ope ciendo, inde exortam haemoptysim, haematemesim compescere novimus. Illud demum observatione compertum est, summi quandoque interesse spontaneam haemorrhagiam magis ominosam in artificialem vertere, qua quidem ratione id licet obtinere, ut sensim iuxta indicantia imminuto impetu ex parte affecta, circuitus aequilibrium,

ex quo uno turbato non raro pendet haemorrhagia restituatur, et ipsamet ad haemorrhagiam praedispositio demum tollatur. Sane oculatus Clinicus, qui opportunis sanguinis detractionibus prudenter institutis, et apto imperato regimine didicit universalem, aut localem plethoram avertere, variasque arcere caussas, quae vasorum actionem directe, aut indirecte excitare valent, et sanguinis circuitui obicem ponere, is etiam frequenter haemorrhagiae recidivam praecavebit.

VI.

Quemadmodum vero plurimum sperare licet a naturae auxilio in activis haemorrhagiis, aliter profecto res se habet in passivis. Quamvis istae habituales iam factae aliquando intemerata sanitate, aut etiam quodam cum levamine contingere animadvertantur; vix tamen non semper contumaces factae, levique de caussa renovatae perniciorem intentant ruinam. Adde quod saepius profusa usque et usque sanguinis copia promptum exposcat auxilium, ne antequam in caussas, et adiuncta methodicam curationem indicantia inquirere fas sit, extremum subsequatur fatum. Haemostatica et adstringenti praesertim vi donata remedia extus et intus administrata ea sunt, ex quibus earumdem curationem auspicari praestat. Non diffitebimur promptius, et tutius ad sistendas haemorrhagias auxilium haberi ab adstringentibus quum ipsi parti immediate applicantur; verum neque observationibus refragatur quaecumque sit (quae procul dubio non una in omnibus est adstringentibus dictis) agendi ratio, eorumdem effectus in caeteris casibus; quod quidem etsi per consensum generatim id explicandum censeant, non desunt tamen

qui opinentur nonnullorum remediorum ingestorum principia a chyliferis vasis absorpta integris suis viribus sanguinem subire et propiorem super partes affectas actionem exerere. Verumtamen his missis, concludere sufficiat cum Cl. Gregory, qui, dum fatetur parum constare qua ratione agant adstringentia intus propinata, ait: *Nec multum refert, dummodo effectus ipse certus sit, eorumque natura, et administratio satis perspecta.*

VII.

Plures recensentur substantiae inter adstringentia. Acida generatim huc referuntur tum vegetabilia, tum mineralia: huc frigida, glacies; familiaris siquidem, et sat nota est utilitas ex frigidae inspersione, vel ex spleniorum ipsa, vel oxycrato, aut aceto madidorum applicatione in partibus; aut circum eas unde sanguis erumpit. Hinc frigidae aspersiones in remotis partibus factae: ut et embrocationes, lotiones, immersiones mirum in modum iuvisse visae sunt. Huc quoque terrosae quamplurimae, et metallicae substantiae; huc plantae permultae, earumve succi, fructus, cortex: huc demum spectant composita remedia quamplurima, quae in variis pharmacopaeis prostant, pulveres, pillulae, tincturae, aquae, electuaria, styptica ideo appellata, quorum selectum, utendi modum, et exploratam, quantum datum est agendi rationem, non secus ac dosim ex materiae medicae institutionibus haurienda, peculiaris quicumque casus edocebit, ut vel seorsim, vel plura simul inter se, vel aliis sociata varia formula pro opportunitate propinentur.

Inter vegetabilia commendantur coriarium principium et quae coriario praesertim principio scatent ceu suc-

cus cathecu (terra iaponica), gummi-kino, sanguis draconis, cortex peruvianus, ac, pauco penes nos saltem ab hinc tempore, rathaniae radix valdopere apud Hispanos celebrata, eiusdemque extractum: inter indigena vero praeter acetum recensentur cortex quercus, granatorum, hypocastani, salicis, quibus addunt petala rosarum rubrarum, mala cydonia, plantas alias, uti sunt plantago, urtica, sempervivum, tormentillae, et bistortae radix, acerbi nonnulli fructus et folia, potissimum vitis moschatae, geranii maculati, secale ipsum cornutum, alia, quibus tamen ea non inest vis ut in sistendis gravibus haemorrhagiis iisdem solis fidendum sit. Caeterum notante laudato Gregory, *medicamenta adstringentia, quae ex frugibus desumuntur facile et sine periculo, vel largius, vel parcius secundum ipsorum facultates ab aegris possunt devorari, eorumque usus diu continuari.*

Inter mineralia adstringentia memorantur varia ferri oxyda, et nonnulla eius praeparata, quae inter ferri sulphas, acidum sulphuricum rite dilutum, vel aptis basibus nuptum, aut alkooli sociatum, quo spectat aqua Rabelii dicta decoctis, vel tincturis recepta. Maximo vero iure celebratur ut adstringens efficacissimum alumen, seu sulphas aluminae cum potassa: minus frequenter in usum veniunt acidum nitricum ac hydro-chloricum. Quod vero spectat ad zincum, plumbum, et cuprum, quorum nonnulla praeparata ut adstringentia commendantur, eius generis non censentur, ut istis quoad usum internum tuto fidere prudentioris sit: hinc cur haec remedia ad usum externum releganda esse censeat Cl. Carminati, et Cl. Frank asserat se ipsum in alu-

mine maxime, ac in cortice peruviano fiduciam collocare.

Animale regnum praeter ammoniacam, quam extus cum utilitate adhibitam fuisse ad sistendas haemorrhagias testantur observationes, gelatinam etiam suppeditat adstringenti proprietate non destitutam, quam uti alimentum medicamentosum frequentius in usum duci posse non diffitendum. Aqua sperniolae olim valde celebrata, nunc pene exolevit, sicuti pariter alia quamplurima, ut sunt bolus Armena, terra lemnia, terra sigillata, similia, nisi immediata sit horum actio in partem unde sanguis fluit, quo faciunt fuligo, agaricus quernus, caetera mechanica potius fortasse vi, meatus nimirum obturando, exsiccando, absorbendo agentia.

VIII.

Inter composita, quorum vix finitus est numerus penes varios medicamentarios codices celebrem olim famam obtinuerunt pillulae adstringentes compositae ex alumine et sanguine draconis; huic mox gummi-kino substituendum esse alii maluerunt. Profecto non est cur huiusce remedii usum reprobemus dosi scrupuli unius ad semidrachmam, vel scrupulos duos pro opportunitate repetita.

IX.

Suam quoque merentur laudem aquae stypticae dictae, quarum parandi formula multiplex est apud auctores, eorumque propterea varia est dosis qua exhiberi debent interno usu, prout varia est eorumdem efficacia, tum ratione substantiarum compositionem ingredientium, tum ratione menstrui insumpti in iisdem

parandis; hinc cur internus nonnullarum usus vel relegandus sit, vel cautiones requirat, et probe prius comperta esse debeat varia earumdem compositio ab auctorum observationibus, qua decet prudentia, colligenda. Consuevit interim usu etiam interno praescribi apud nos aqua styptica Clementina, Romana etiam dicta, cuius compositio penes omnes pharmacopolas generatim nota sat est, ut in promptu sit ad opus, quaeque pluries feliciter cessit aquoso aliquo vehiculo recepta, dosi drachmae semissis ad drachmam unam, aut duas per intervalla sumpta, ac, prout opus repetita: caeterum gossypio, per linteisve excepta extus applicatur, et pro opportunitate syphonis ope iniicitur, aut turundae ipsa imbutae in partes quibus aditus patet, immittuntur.

X.

Quae de corporis animique quiete (par. II.), opportuna corporis positione, atmosphaerae temperie, causarum sedula devitatione, stimulis per frictiones, fotus, cucurbitulas ad remotas partes deducendis diximus, huc quoque quadantenus referenda sunt, habito tamen semper respectu ad vires, constitutionem, caeteraque adiuncta. Huc etiam spectare videntur epispastica ac rubefacientia, ablegatis tamen cantharidibus, quandocumque sermo est de haemorrhagia illorum organorum, quae ipsarum usum manifeste contraindicant. Causarum itidem moralium, si quae sunt, maxima est habenda ratio.

XI.

In passivis haemorrhagiis pronum erit concipere, eius generis requiri diaetam, ut viribus servandis, eri-

gendisque prospiciatur alimentis nutrientibus, eupeptis, ea quantitate quam stomachus facile ferat, et aegri adiuncta exposcant, illis selectis tum alimentis, tum, prout opus, condimentis, quae tonica, aut etiam adstringenti quadam vi pollent, quo spectant crassiora iuscula, ac praesertim gelatinae; tum prudens adstringentium et aromatum usus, uti et vini meraci, ac potius austeri: eodem tempore etiam curandum ut morbosae sensibilitatis excessui medeamur. Hinc cur nervina, antispasmodica atque opiata suum merito frequenter inveniant locum vel per se, vel tonicis, adstringentibus sociata.

XII.

Aliter ac diximus de activis sentiendum est in passivis de venae sectionibus; in his enim ulteriori sanguinis dispendio parcendum. Si autem sermo sit de casu in quo spes sit futura, ut sanguinem ex sana minus incommoda sede ducendo, huius fluxum a nobiliore parte compescere, aut praepedire datum sit, id dabimus utique, servatis semper illis cautionibus, quae prudentem et oculatum Clinicum numquam fugere debent, ne in tanti momenti auxilio praescribendo iam enervatae vires magis pessumdentur.

XIII.

Quod ad prophylaxim haemorrhagiae passivae, quamvis haec tum in apposito regimine (par. XI.) tum in non intermisso tonicorum, et adstringentium usu generatim consistat, haud tamen unquam omittenda contemplatio causarum, quae vel supra universum systema, vel supra determinatam partem quocumque modo agentes facilem haemorrhagiae recidivae occasionem prae-

bere possunt, aut visae sunt; his propterea arcendis, infringendisve iuxta cuiusque causae naturam auxiliis, omni ope adlaborandum est.

XIV.

Quoad caeteras pertinet indicationes, quae in haemorrhagiarum curatione passim sese exhibent, quomodo illis satisfacere expediat ex peculiaribus adiunctis, et singularibus casibus, morbosisque complexubus non hic recensendis decernere fas erit. Quare si purgantibus, emeticis, paregoricis, caeteris locus fiat, prudens videbit Medicus, qui pariter ex attenta omnium adiunctorum inquisitione haud difficile eruet quando haemorrhagia (raro quidem exemplo) sub intermittentium febrium larva decurrens, eamdem ac istae sibi vindicet curationem.

XV.

Postremo loco monebimus 1.° in suppressione haemorrhagiae, quae in acutorum morborum decursu contingit, caute incedendum esse, nisi quando modum excedunt, aut ex locis contingunt periculosis; hae siquidem (par. X. art. I. et par. I. art. III.) a salutari naturae molimine saepe excitatur, imo etiam haemorrhagiae per ipsa morborum initia cum levamine contingere possunt. 2.° In haemorrhagiarum curatione rationem semper habendam esse causarum localium, ut sunt ex. gr. polypi, carcinomata, calculi, eaque omnia, quae sanguinis liberum circuitum impedire valent, aut ipsa quocumque modo laedere vasa, eodemque tempore non parvi interesse ad dyscrasiam, si quae viget attendere, quae cum haemorrhagia coniungitur, aut qua foveri ipsam probabile est, ut quae dyscrasiae indoles exposcit

remedia in usum ducantur, quorum omnium cognitioni, symptomaticae haemorrhagiae curatio innititur. 3.° Summi quoque omnino momenti esse inquirere, utrum sympathica sit haemorrhagia, ut illis fiat locus remediis, quae devincendis causis apta sunt, unde illam exortam esse constat, aut foveri posse compertum est. Demum quando compressioni, ligaturis, suturis locus fiat, haud difficile erit decernere; his enim in casibus ad Chirurgiae consilium, et operam praestabit confugere. Caeterum ex hactenus allatis sat constare potest, victus rationem, corporis varium exercitium, coeli prout opus mutationem, alimentorum, potuumque selectum ita aptanda esse, ut non solum ex haemorrhagiae indole, causa, ac sede, sed ex aetate, temperamento, consuetudine, tolerantia, idiosyncrasia, caeterisque, si quae sunt, peculiaribus aegri adiunctis, quae magis accommodata sint, eruantur.

DE EPISTAXI

Art. I.

SYMPTOMATA, DIVISIONES, CAUSSAE, PROGNOSIS.

I.

Narium haemorrhagia *epistaxis* dicitur, ab aliis *rhinorrhagia.* Fluit autem sanguis vel per utramque, vel per alterarum tantum narium aperturam; nunc vero e posterioribus narium hiatubus in fauces defluens per os emittitur. Rursus modo magno rivulo profluit sanguis, modo stillatim decidit: si primum proprie narium haemorrhagiam vocare malunt: si alterum stillicidium appellant: verum nemo vitio nobis vertet, si de his differentiis minus solliciti quodcumque sanguinis ex internis naribus profluvium *epistaxis* nomine comprehendamus.

II.

Frequentissima porro narium haemorrhagia modo essentialem constituit morbum, modo alteris superaccedit in vario ipsorum stadio nunc critica, nunc sympto-

matica. Caeteris paribus pueri, atque adolescentes epistaxi magis patent. Sane sicuti mollis, et laxa narium membrana innumeris vasorum propaginibus instructa eo nos ducit, ut ex facili ad hanc sanguinis impetu, vel minori resistentia frequentiam haemorrhagiae narium explicemus; ita ea in aetate, qua sanguis maiori copia ad caput dirigitur, ipsam ideo facilius contingere arguimus.

III.

Praeter iam recensitas (par. ant.) divisiones, epistaxis non secus, ac caeterae haemorrhagiae tributa est in *habitualem*, vel *accidentalem*, *periodicam*, aut *vagam*: *haereditariam*, vel *adventitiam*: *acutam*, vel *chronicam*: *idiopathicam*, vel *sympathicam*. *Traumatica* etiam nunc est, alias *spontanea*, necnon *epidemico* interdum genio grassari visa est, aut potius ut epidemici morbi frequentissimum symptoma se prodere. Demum maximi facienda eiusdem partitio in *activam*, et *passivam*.

IV.

Absque ullo praevio signo repente interdum epistaxis manifestatur. Huc spectat passiva non secus ac illa, quae ab externa violentia caussam agnoscit. Activa vero plurima consuevit habere prodroma indicia ipsam praenunciantia, quae diathesis inflammatoriae signorum aemula sanguinis ad caput impetum adauctum arguunt. Huc pertinent faciei tensio, inflatio, rubor: capitis, ac praesertim, notante iam Hippocrate, sincipitis gravitas, vel dolor: carotidum, ac temporalium arteriarum molesta pulsatio: oculorum rubor, suffusio, lacrymatio: visus hebetudo: tinnitus aurium: surditas:

mentis functionum perturbatio: somnolentia: vertigo: stupor: pavores nocturni: pruritus narium. Huc quoque spontaneae totius corporis lassitudines, oscitationes, horripilationes, perfrigerationes, quibus interdum dispnoea, vomitus alia adiunguntur. Huc denique pulsus plenus, undosus, dicrotus non raro in alterutro tantum ex carpis: sicuti mox recensita nonnulla signa in alterutra tantum capitis, ac faciei parte observare fas est: quo quidem in casu ex ipsius lateris nare, in quo haec adnotantur, haemorrhagiam expectandam esse testantur diligentia Clinicorum observata.

V.

Interim praesentibus numero pluribus, paucioribusve ex memoratis (par. ant.) signis frequenter increscente narium pruritu, qui ad scalpendum invitat, aut, sternutatione interdum praeeunte, sanguis rutilus, facile coagulabilis prorumpit. Cogitur siquidem non raro cruor in polyposam massam extra nares propendentem, et ipsarum cavitatem replentem, qua decidua, aut avulsa, uberius mox sequitur profluvium aegre interdum coërcendum. At si modica sit haemorrhagia sicuti sub sanguinis fluxu cernere est symptomata imminui, aut prorsus cedere, aegrumque melius se habere; ita si praecocius, vel sponte, vel praepostere sistatur cephalalgiae, vertiginum, soporis, delirii, inflammationum, aliorumque morborum origo vix non semper pertimescenda.

VI.

Porro vix ulla ex memoratis (par. IV.) signis, coniunctisque narium haemorrhagiam praecedentia, uti et qualitas fluentis sanguinis tenuis, soluti aegre, aut nihil omnino coagulabilis: pulsuum usque et usque

aucta concidentia, virium insignis depressio, addita status aegrotantis anteacti consideratione, passivae epistaxis diagnosim nullo negotio exhibebunt. Caeterum symptomata praesentis epistaxis, non secus ac inducti in corpus effectus, habita tantum ratione loci, cum illis conveniunt, quae de haemorrhagiis generatim adnotavimus.

VII.

Contingit persaepe ut sanguis, aut coactus, aut fluidus per posteriores narium aperturas in faucies, indeque in aesophagum, in ventriculum, alias etiam in aëreum canalem delabatur ore, mox per vomitum, aut tussim eiiciendus; ex quo consequitur plurimi ad haec interesse attendere, ne pro haematemesi, aut haemoptysi imponat.

VIII.

Caeteris haemorrhagiis, uterinis fortasse exceptis, magis obvia epistaxis nullas non agnoscit ex generalibus haemorrhagiae caussis (de haemorrh. gen. art. I.) unde produci non queat: tum si earumdem actio supra nares, vicinasque capitis partes exeratur, tum si aliis in partibus insidentes, vel sufflaminato sanguinis circuitu, id efficiant, ut hic maiori quantitate, ac impetu narium vasa petat, ex his demum erupturus, vel quocumque modo sanguinem ad caput incitare, aut eiusdem reditum impedire potis esse concipiantur.

IX.

Quare praeter illa omnia, quae violentam vim inferre valent, uti sunt compressio, distractio, distensio, contusio, inter occasionales epistaxis caussas recensentur in primis narium ipsarum vulnera, ulcera,

polypi, irritamenta mechanica: acres vapores inhalati, vel huius generis pulveres attracti: insolatio: capitis inclinata positio: caloris ex igne ardente, aut ex hypocausto in caput actio: nimis stricta collaria, similia. Huc quoque spectant violenta animi pathemata, vigiliae: vehementia exercitia, sternutatio, clamores, tussis, eiulatus: acrium, ac spirituosorum abusus: suppressio aliarum evacuationum: membrorum mutilatio: ligaturae: spasmi: frigus intensum. In hunc etiam censum veniunt inflammationes non capitis tantum, sed et aliarum partium non secus ac exanthemata nonnulla, tum nonnullorum viscerum infarctus, hepatis praesertim et lenis: ventriculus, et intestina cibis, flatubus, saburris obsita: vermes ipsi in intestinis nidulantes; huc demum accensenda illa omnia, quae narium vasorum laxitati favent, uti et dyscrasiae, nec non contracta in hanc haemorrhagiam habitudo. Ex his patet, nunc idiopathicam, nunc sympathicam esse epistaxim.

X.

Cum porro inter memoratas (par. ant.) epistaxis occasionales causas aliae sint, quae interdum, ut iam alio loco (ibid.), innuimus, praedisponentium vice fungantur, de his generatim animadvertisse sufficiat, eas omnes affectiones, tum praesentes, tum praegressas, quibus naribus ipsis, aut vicinis partibus vitium aliquot inducitur, ad epistaxim praedisponere. Hinc cur morbosa ipsarum narium conformatio in caussa esse queat, cur sanguis obicem alibi inveniens, faciliorem sibi viam, caeteris paribus, per nares expediat.

XI.

Ex illis, quae de prognosi haemorrhagiae generatim

attulimus (art. I.) manifestum sat est, plura consideranda esse ut haec eruatur. Hinc consequitur, non ex uno fonte hauriendam esse prognosim epistaxis, ut vel salutares, vel plus minus noxios serius ocius expectandos effectus praestolari datum sit, quo tutiori, et rationali suscipiendae curationi locus concedatur, neque aliquid contra aegrotantis securitatem, et medicae scientiae existimationem agatur.

XII.

His praehabitis, et attenta semper caussarum omniumque adiunctorum indole, illud primum, observatione confirmante, statui potest, leviorem morbum sistere epistaxim in pueris, et adolescentibus, *quia sublata per aetatem*, ut inquit Frank, *humorum ad caput congestione, sponte saepe dissipatur.* Verum tamen si aequo frequentius invadat, et levibus omnino de caussis recurrat, metum incutit futurae haemoptysis in iuvenili aetate. Magis pertimescenda epistaxis, quae haereditaria est. In iuvenibus saepe haemoptysim praevertit epistaxis. In senibus generatim est magis ominosa; in his enim apoplexiae praenuncia saepe animadversa est. Generatim epistaxis activa vix periculosa esse solet, nisi admodum copiosa, ac frequentius renovata. Contra maiorem semper incutit metum passiva. Bonum omen portendit epistaxis, cum ea ipsa molesta, quae prius vexabant, disparent symptomata, aut cum defectui supplet alterius haemorrhagiae: quod iam innuit Hippocrates inquiens: *mulieri, menstruis deficientibus, e naribus sanguinem fluere bonum.*

XIII.

Quanti saepe emolumenti sit epistaxis quotidiana pene

docet observatio, iamque ex divini Senis operibus colligere est, ex narium haemorrhagia abscessus ad articulos, dolores capitis, et aurium, surditatem, tenebricosas vertigines, mentis perturbationes, pervigilia, morbos quamplurimos acutos fluente ex naribus sanguine iudicari, aut solvi, quae quidem omnia posterioris aevi confirmarunt observata. Quod si iuxto parcior sit sanguinis fluxus, vel aliqua de caussa praepostere cohibitus, ominosa tunc nullo negotio inde exorta videre est pathemata, et capitis praesertim morbi, vertigo, cephalaea, amaurosis, aurium tinnitus, surditas, sopores, apoplexia, convulsiones, caetera iure pertimescenda. Epilepsiam, ac dysenteriam hinc enata memorat Cl. Frank, et de convulsionibus habemus quoque ex ipso Hippocrate sequentia: *largae sanguinis e naribus fluxiones per vim suppressae quandoque convulsiones provocant: venae vere sectio solvit.*

XIV.

Quae in morbis contingit narium haemorrhagia, utrum salutaris, critica, an symptomatica sit ex morbi indole non minus quam ex huius stadio, et enatis inde effectibus, diiudicandum. Quantum vero levaminis expectandum ab epistaxi in febribus, ac generatim in morbis cum statu phlogistico sociatis, si aequa quantitate fluat sanguis, aptoque tempore; tantum generatim portendit discrimen in febribus nervosis, malignis, huius indolis inflammationibus, et exanthematibus.

XV.

Mala quoque generatim censetur haemorrhagia in longis chronicis affectionibus cum summa virium debilitate incedentibus, in viscerum labe, cachexia, hydrope,

scorbuto, similibus, etsi etiam non insigni copia sanguis fundatur; hinc cur idem Coacarum praenotionum Auctor dixerit: *in morbis inveteratis parvae apparentes sanguinis e naribus fluxiones perniciosae sunt.* Etsi autem memoratis in morbis interdum ab epistaxi simptoma aliquod levatum observare contigerit, primarii tamen morbi exasperationem consequi notatum est. Rursus ab eodem Hippocrate, *pusillae sanguinis stillae in acutis malae censentur; si tamen* (subdit) *non aliud quid boni inciderit.* Demum ibidem etiam traditum legimus, *sanguinem ex adversa parte erumpere malum est, velut in splene magno a dexteris, et circa hypochondria eodem modo res se habet.* Malum pariter si horrores, rigores, tenues sudores, convulsiones, delirium, singultus, extremorum frigus epistaxim excipiant. Periculi plena censetur quae in hecticis, inanitione detentis, viribus exhaustis contingit. Lypothimia, syncope, caetera languoris, ac virium concidentiae signa epistaxim subsequentia, sicut haud ita metuenda in activa, contra magis periculosa censenda in passiva. Hisce addenda consideratio sanguinis effluentis, qui quo magis a naturali crasi, ac qualitatibus desciscit, eo maius ominatur discrimen. Caeterum ex abnormi sanguinis e naribus profluvio quam funesti possint enasci effectus iis etiam in casibus, in quibus a moderato ipsius fluxu levamen potuisset expectari, non est cur dicamus. Etsi tamen naturae agentis vim mira saepe operari, et plurimi interdum valere contractam habitudinem non inficiemur.

Art. II.

CURATIO. PROPHYLAXIS.

I.

In epistaxis curatione eo primum spectare debet Medentis sollicitudo, ut decernat, activa ne sit, an passiva, maxime vero utrum salutaris, critica sit, an symptomatica, habita semper ratione caussarum, ex quibus orta est, ac fovetur non secus, ac illorum adiunctorum, quae in singulari quocumque casu peculiarem considerationem exposcere videntur. Quapropter utrum sinenda sit, aut etiam promovenda, an compescenda epistaxis, sedulo inquirendum. Porro attenta consideratio signorum ac symptomatum, quae praecesserunt, observatio effectuum, qui sanguinis fluxum comitantur ac consequuntur, morbi, in quo haemorrhagia supervenit, indoles, uti etiam tempus, in quo contingit, qualitas fluentis sanguinis, aetas, temperamentum, constitutio, caetera, si quae sunt, adiuncta totidem sunt adiumenta, quae Medentem ita dirigunt, ut, dum salutares naturae motus nullo pacto turbare docetur, eodem etiam tempore iisdem prout opus obsequatur, et caveat, ne salutare sanguinis profluvium praepostere compressum gravibus praebeat malis origi-

nem. Hinc cur generatim statuant cordati Clinici, epistaxim, quae pueros, adolescentes, iuvenes, vegetos, robustos, succi plenos, plethoricos adgreditur, tum eam, quae in morbis supervenit cum statu phlogistico sociatis, aut in illis, in quibus sanguinis impetus ad caput speciatim dirigitur, tum vero illam, quae suppressae alterius sanguineae evacuationis supplet defectui, nullum requirere auxilium, illis exceptis, quae eo spectant, ut iuxta aegri vires, et adiuncta intra limites coërceatur sanguinis evacuatio.

II.

Ex his (par. ant.) fluit, plurimi interesse in eo incumbere, ut epistaxis, cum parca omnino est, et perstant symptomata, quae sanguinis impetum ad narium, et capitis vasa incitatum demonstrant, persaepe promoveatur vaporibus ex aqua calente attractis, suppressa revocetur hirudinibus interioribus naribus applicitis, aut irritantibus admotis, quae, si votis non cedant, et robur, aetas, temperamentum, caussae, febris accedens, alia indicent, ad sanguinis detractionem, hancque prout opus repetitam praestabit confugere, eoque fidentius, quo graviora symptomata ab epistaxi vel parca, vel sponte, aut intempestive cohibita subesse, aut instare deprehendentur.

III.

Sicuti autem ab ipso sanguinis e naribus profluvio moderato tum ipsius haemorrhagiae, tum symptomatum levamen contingit, ipsaque imo succedens lypothimia terrere non semper debet; ita consequitur, si ex nimia sanguinis deperditione periculum instet, id totis viribus esse nitendum, ut funesti praecaveantur effe-

ctus, opportunis in usum ductis auxiliis, tum quando haemorrhagia vexat, tum quando iam ipsa fuit cohibita ad praecavendam recidivam. *Tempore haemorrhagiae* (ita Burserius) *ea adhibentur, quae sanguinem sistunt: haemorrhagia iam cohibita, vel diutius protracta, caussae eam efficienti occurritur.*

IV.

Inter caetera auxilia primum venit caussarum stimulantium quantum fieri potest, remotio; hinc cubiculi calor temperandus, nimia vitanda lux, eupeptus victus, tum spirituosi, ac calentes potus amandandi: erectus servandus trunci ac capitis situs, maxima corporis, animique quies concilianda, cavendum a loquela, tussi, sternutatione, narium contrectatione, ac quacumque irritatione. Simul etiam conveniet tepida pediluvia in usum ducere, alvumque clausam clysteribus aperire, interea dum, perstante pulsuum plenitudine, vigore, duritie, iteratae sanguinis missioni fit adhuc locus non solum ad excedentem sanguinis quantitatem minuendam, sed ad eiusdem impetum a capite deducendum. Hinc sanguinis e pede missio promptum saepe sistit remedium ad compescendam epistaxim. Interim diaeta tenuis sit, potus diluentes, temperantes, subacidi, nitrati, ad frigidum potius vergentes.

V.

Quod si, hisce irritis, usque et usque sanguis fluere pergat adeo ut epistaxis iam passiva evaserit, aut talis ab initio fuerit, tunc nullum est dubium, quin statim confugiendum sit ad illa auxilia, quae sanguinis fluxum sistere valent, et eo citius, quo maius imminet

ex inanitione, summa virium prostratione periculum, quod pulsus concidentes, irregulares, intermittentes, tremuli, faciei pallor, visus obfuscatio, suspiriosa respiratio, lypothimiae frequentes, extremitatum frigus, convulsivi motus patefacient. Tum ergo suppetias ferent splenia ex aqua frigida, vel oxycrato imbuta fronti, temporibus, cervici, occipiti, dorso, pudendis admota, non secus ac huius generis inspersiones: cataplasmata ex ovi albumine cum aceto, vel adstringentibus pulveribus conflata fronti imposita. Summi quoque usus sunt naribus inditae turundae aceto, aqua Rabelii, solutione aluminis, gummi-kino, sanguinis draconis, cathecu, vel aqua styptica imbutae memoratis pulveribus inspersae. In eumdem scopum commendatur atramentum gossypio, vel spleniis exceptum. Fuligo, teste Burserio, aliisque, si alia ad manus non sunt, cum albumine ovi subacta turundis, vel gossypio excepta utilissime in nares intruditur, sicut etiam cum utilitate adhibetur esca igniaria, tum pulvis ex combustis linteis, his adduntur, prout opus, iniectiones ex frigida, aut ex adstringentibus decoctis, solutionibus, aquis destillatis.

VI.

Aliquando vasorum, unde sanguis fluit, compressio haemorrhagiae extemplo coërcendae sufficit. Hinc cur compressae alae nasi sanguinis fluxum non raro sistant, quod pariter de compressione internis naribus facta tenendum est, sicuti contingit cel. Morgagno, qui epistaxim pluribus iam auxiliis refractariam compescere potuit turundis durioribus, ut validam compressionem exercerent, in nares immissis.

VII.

Interim prospiciendum etiam est posterioribus narium apertionibus, per quas sanguis in cibarium, nec non in aëreum canalem cum periculo protrudi potest. Quapropter, clausis etiam posterioribus narium in fauces ostiis, fit, ut coërcitus sanguis facilius concrescat, unde haemorrhagiae cessatio. Hoc consilio turundae in nares iniiciendae ita filo alligantur, ut per nares anteriores ad fauces traiecto, iis partibus, unde sanguis fluit, applicari, et pro opportunitate hinc inde trahi queant. Quae autem polyposae concretiones intra nares efformantur, sinendae, donec sponte decidant, ne, his vi distractis, renovetur, aut uberior adhuc sequatur haemorrhagia.

VIII.

Summae quoque utilitatis sunt cucurbitulae tam siccae quam scarificatae dorso, scapulis, cervici, coxis, nec non hypochondriis, et dextero quidem, si e dextera, sinistro, si a sinistra narium apertura sanguis egrediatur, docente iam Galeno, utrique hypochondrio, si ex ambis naribus cruor erumpat. Sane non tantum ex evacuatione, aut revulsione sanguinis, sed ex vario stimulo, quem supra cutim exercent, et a naribus detrahunt, proficuae censentur cucurbitulae. Hinc etiam repetendus effectus, quem in epistaxim producunt frictiones, rubefacientia, vesicantia: terror etiam repente incussus, uti et inspersiones frigidae in faciem, dorsum, alibi inopinante aegro factae, non semel epistaxim compescuerunt. Rursus ex vinculis artubus iniectis, quo sanguinis per venas regressus retardetur, non exigua in sistenda epistaxi utilitas fuit animadversa. De-

mum ex antea dictis pronum est concipere, epistaxim, quae haemorrhoidum, aut catameniorum vices gerit, haudquaquam prohibendam esse, nisi prius cautum fuerit, ut restituantur haec spontanea, et periodica sanguinis profluvia, illo tamen semper excepto casu, in quo ab excedente sanguinis evacuatione discrimen habetur, quod prudentis est Clinici sedulo animadvertere.

IX.

Quum epistaxis ab alio morbo sobolescit, aut sympathica est, potior, tunc attentio ad morbum primarium, et caussam qua fovetur, convertenda est. Hinc patet cur epistaxis, quae sub intermittentium febrium larva incedit, cortice peruviano vincatur: cur epistaxi a nervosis affectionibus exorta, antispasmodica, nervina succurrant: cur, sordibus turgente ventriculo, aut intestinis, mirum praestent effectum ad eamdem compescendam emetica, aut purgantia, quod de anthelminticis dicendum, cum a vermibus producitur: cur nervosis et malignis in febribus, morbisque vexans narium haemorrhagia tonica, nervina, antiseptica, opiata expostulet: cur epistaxis universalem virium debilitatem pro caussa agnoscens victum analepticum, vini, aromaticorum, corticis peruviani, martialium usum requirat: cur demum alias ad ipsam devincendam peculiari vigenti dyscrasiae apposita remedia sint administranda.

X.

Quae ab organico vitio fovetur epistaxis, nisi palliativam generatim curationem admittit; nisi enim organico vitio tollendo locus concedatur, de epistaxi ra-

dicitus tollenda vix sperandum. Interim nunquam fugere debet praeceptum, quo docemur urgentiori succurrendum esse.

XI.

Narium haemorrhagia coërcita, per sat longum tempus quieti obtemperet aeger necessum est, caveatque, ne factum in naribus coagulum removeat donec sponte decidat. Hoc autem deciduo non ita facile illorum usui indulgeat, quae irritationem naribus inferre valent. Pro caussarum vero, unde fuit producta, et virium, quae supersunt, adiunctorumque varietate variis tum diaeteticis, tum medicis auxiliis locus conceditur.

XII.

Hinc etiam fluit ex parte epistaxis prophylaxis, quae generatim in eo consistit, ut sedulo vitentur illa omnia, quae, ut verbis utamur Cl. Frank, *sanguinem praeter modum accumulant aut movent cum impetu, aut capiti uberius transmittunt, vel quae circuitum per vasa abdominis praesertim, aut artuum aequalem intercipiunt, aut reditum cruoris per venas iugulares retardant, aut alias naturales, ut vocant, consuetas excretiones subvertunt.*

XIII.

Verumtamen methodum prophylacticam non ex eodem fonte petendam esse in epistaxi activa, ac in passiva, sponte consequitur ex tradita curationis methodo. In activa siquidem eo tendere debent omnia Medentis consilia, ut in primis ea praecipiatur aegrotantibus vivendi ratio, isque alimentorum tum in quantitate tum in qualitate selectus, quibus neque plethorae, neque vasorum actioni tum universali tum locali excitandae

praebeatur occasio. Quare vitandi incolatus regionum, locorumque calidiorum, insolatio, alimenta et condimenta nimis stimulantia, potus spirituosi, violenta animi pathemata, eaque verbo omnia, quae sanguinis circuitum intendere, et eius impetum ad capitis, et narium vasa determinare valent, vel regressum huius per venas sufflaminare. Contra servandae vel prout opus ciendae, augendaeve aliae excretiones appropriatis auxiliis. Diluentes, temperantes, subacidi sint potus; tepida aut temperata balnea non improbanda: alvus libera servanda, ac pro re nata cienda tum enematibus, tum purgantibus antiphlogisticis. Demum neque indicatis variis in adiunctis sanguinis detractionibus pro opportunitate parcendum.

XIV.

Iuxta caussarum, coniunctorum, et effectuum varietatem palam fit, diversa ratione incedendum esse, si de passivae epistaxis prophylaxi sermo sit; in hac enim viribus servandis, ac erigendis continuo prospiciendum roboranti regimine, euchymis alimentis, illisque omnibus cautissime devitatis, quae vel secretiones, et excretiones adaugendo, vel quocumque modo agendo vasorum tonum valent infirmare. Tonica adstringentibus, prout opus, sociata remedia, cortex peruvianus, et martialia praeparata varia formula et dosi iuxta aegri tolerantiam praescripta, caeteris non omissis pro indicationum varietate stimulantibus ac nervinis, ea sunt, ex quibus summam utilitatem sperare fas est. Coeli etiam mutationem, suscepta itinera, mutatam vivendi rationem, non levem attulisse utilitatem, et caeterorum remediorum actionem promptiorem, efficaciorem-

que reddidisse compertum fuit. Curae quantum fieri potest, abiiciendae: intensioribus, protractisque nimis meditationibus valedicendum, animique contentionibus; neque minus cavendum ab illis omnibus, quae sensibiliorem factam narium membranam lacessendo, aut infirmando, novam, et quo frequentius renovatur, faciliorem epistaxi praebent occasionem.

XV.

Quae demum tum ratione complexuum, tum ratione peculiarium, quae epistaxim praecedunt, comitantur, ac consequuntur, symptomata in singulari quocumque casu emergunt, oculati erit Clinici decernere, ut indicationibus satisfaciat, eodemque tempore ducatur ad congruum remediorum selectum, et opportunam eorumdem administrationem, caussarum, si quae sunt, localium nunquam omissa consideratione.

DE HAEMOPTYSI

ART. I.

SIGNA, SYMPTOMATA, DIVISIONES.

I.

Etsi haemoptysis vocabulum proprie quodcumque sanguinis sputum significet; consuevit tamen dudum hoc nomine intelligi cruoris e pulmonibus advenientis per os reiectio. *Pnemonorrhagiam* cum aliis vocat FRANK, qui sanguinis fluxum e variis oris, et faucium locis emissionem *stomatorrhagiam* appellat.

II.

Stomatorrhagia non infrequens, raro primaria, generatim symptomatica, aut secundaria occurrit ex dentis carie, aut evulsione, ex violentia alveolorum, maxillarum, palati, labiorum, linguae, pharyngis vasis illata; ex inflammationibus, tumoribus, ulceribus, varicibus has partes obsidentibus, ex acrium, irritantium, causticorum actione, caeteris; vix non semper socia incedit scorbuti.

III.

Atque huiusmodi quidem haemorrhagiae obviam, utpote simplici inspectione haud difficile assequendam, offerunt diagnosim, ac diversum pro diversitate causa-

rum quibus excitantur, aut foventur, non minus quam morbi indolis, cui adiunguntur, aut superaccedunt, portendunt effectum. Hinc consequitur, harum curandarum methodum causarum, morborumque indoli, ac varietati aptandam esse; eodemque tempore collutoriis, gargarismatibus, iniectionibus tonicis, adstringentibus, aliisque topicis, quum datur locus, auxiliis admotis, remotisque obstaculis, Chirurgi, prout opus, auxilio accito, nimiae, quae caeteroquin metum incuteret, sanguinis iacturae, occurrendum esse.

IV.

Atque non est inficiandum, oris et faucium haemorrhagiam, sicuti caeteras ex internis causis, quamvis rarius, nonnumquam tamen primario etiam produci, et nunc adauctam vasorum, quae hisce partibus prospiciunt, vim, nunc eorumdem debilitatem manifesto incusare. Sane praecedentibus signis adauctum sanguinis ad caput impetum testantibus, hanc haemorrhagiam subsecutam, imo suppressae alterius evacuationis sanguineae vices gessisse narrant observatores. Neque dubium est, quin ex sola vasorum ipsorum atonia, absque eo quod manifestae aliae caussae locales praecesserint, possit exoriri, et pluribus de causis renovari.

V.

Tunc ergo ex illis quae de haemorrhagiis generatim activis, et passivis, ac praesertim de epistaxi dicta sunt, pronum erit eruere quae in harum curatione via sit tenenda. Sufficiat paucis concludere, posse sanguinem ex harum partium vasis cum utilitate profluere, quod ex levamine praecedentium symptomatum arguere licebit: *criticam* pariter esse posse in quibusdam morbis

harum partium haemorrhagiam, nec non maximum emolumentum ab ipsa haberi in inflammationibus harum partium, in quibus, non secus ac in variis congestionibus, ac tumoribus ars novit, aut calidis admissis et emollientibus vaporibus, collutoriis, gargarismatibus sanguinis fluxum promovere, aut hirudinibus applicitis, vel ferro, pro opportunitate, ipsi exitum parare. Caeterum limites excedens haemorrhagia coërcenda. Sat itaque compertum est, sicuti in caeteris, ita in hac pariter haemorrhagia sedulo dispiciendum esse, utrum coërcenda, an sinenda, aut etiam aliquando promovenda sit.

VI.

Haemoptysis nomine ducto (ab haima sanguis et ptyo, sputo) intelligimus reiectionem sanguinis ex trachea, bronchiis, et ex ipsis pulmonibus sinceri, floridi plerumque, ac spumosi, alias coacti, tum etiam fluidioris, minusque rutili per laryngem, vel expirationis vehementis, vel tussis actione contingentem. Ut aliae haemorrhagiae, haemoptysis vel activa est, vel passiva.

VII.

Raro absque praecedente ad pectus, aut ad aliam partem molestia repente contingit sanguinis e pulmonibus profluvium, nisi ab externis violentiis producatur, sed generatim tum eminus, tum cominus praecedere consueverunt symptomata turbatum circuitum sanguinis, vel huius impetum versus pulmonum vasa indicantia, et haec quidem maxime evidentia in activa haemoptysi, cui non raro consociari, eamque praecedere animadvertuntur diathesis inflammatoriae coniuncta; pectoris scilicet oppressio, anxia respiratio, cordis palpitatio ex acclivium locorum ascensu, aut violento

motu, declamatione, aut acrium et calefacientium substantiarum ingestione praesertim vexantia, horrores cum calore alternantes, faciei rubor in genis praesertim circumscriptus, cephalalgia: dorsi dolores, nec non ardoris, doloris punctorii, tensionis ac pulsationis sensus in praecordiis: spastici nonnumquam motus in abdomine: alvus compressa, pulsus duri, irregulares, frequentes, vibrantes: lassitudinis sensus in membris, ac dorso, quasi vapulassent, nox inquieta, turbulenta insomnia, iactationes, instabilis decubitus: tussicula plerumque matutina, aut vix expergefactum adgrediens cum anxietate, aut quodam pavoris sensu: excreatio materiei dulci vel salso sopore instructae, ea sunt quae eminus etiam interdum haemoptysim praecessisse observatum est.

VIII.

Iamvero post leve corporis exercitium, aut defatigationem ex loquela, declamatione, cantu, animi commotione, aut post ingestionem acrium, ac calefacientium, crescente anxietatis, dyspnoeae, et ardoris in pectore molestia, nec non undulatorii velut murmuris sensu in aliqua thoracis parte praeeunte, salsus salivae sapor accedit, ac titillatio molesta in aëreo canali diram tussiendi necessitatem inducens usque et usque adauctam: hinc tussis molesta, vehemens cum dolore, modo sicca, modo viscidum mucum iam sanguinolentis striis saepe remixtum excernens praecedit sanguinis cum strepitu et roncho eiectionem, quae nunc per continuos, et iteratos tussis conatus, nunc per solam vehementiorem expirationem absque sensibili tussi locum habet, maxime cum magna prius copia iam collectus sanguis torrentis mox ad instar per os, ac per nares,

tum fluidus, ac floridus, nunc coagulatus horrendo spectaculo emittitur. Sanguis non raro per pharyngis aperturam in oesophagum, ac ventriculum descendens, inde per vomitum cum cibis aut ciborum reliquiis in ventriculo contentis reiicitur, non minimum tunc prima fronte dubitationi locum relinquens, unde profluat.

IX.

Qui effectus ab haemoptysi subsequantur, nunc brevi omnino tempore ex profusa nimis eiecta sanguinis quantitate, nunc tardiores, prout renovatur eruptio, vel maiores, minoresque laesiones tum respectu totius corporis, tum respectu partis inducantur, haud difficile est conceptu; alias siquidem ex inanitione subitum etiam lethum subsequi posse, certum est, et observationibus evictum, quod etiam ex suffocatione contingere potest, quotiescumque maior sanguinis quantitas e pulmonibus profluit, quam quae possit per glottidis rimam expelli, aut quocumque de caussa evacuari. Aliquando id evenit, ut ex lypothimia succedente, fluxus sanguinis conquiescat; verum, praeterquamquod metus saepe est ne renovetur, et quidem uberius, molestiae quamplurimae a sanguinis eiectione supersunt. Huc praeter summam virium prostrationem, spectant dolores sub sterno, aut in alia thoracis parte obtusi, oppressio, angores a motu, pastu, et vespertinis horis prehendentes: difficilis in alterutrum latus decubitus, tussicula: caloris ac frigoris vicissitudines, ex quibus omnibus labem iam aliquam pulmonibus inustam coniicimus, unde haemoptysis recursus, lentae inflammationes, ulcera, symptomatica febris, phthisis serius ocius consequuntur. Neque praetereundum est, vel ab

ipso morbi initio, vel serius etiam emissum iuxta indicationes sanguinem densam exhibere in superficie coriaceam crustam, et febris, tussis, dyspnoea perstantia latentis in pulmonibus inflammationis praebere indicium.

X.

Interim non aequas semper ab haemoptysi strui insidias, neque adeo graves subsequi effectus, certum est; siquidem sanguinem e pulmonibus saepe, ac certis sub periodis interdum absque sensibili molestia, febre, aut alio tristi notato effectu eiectum observationes testantur, foeminarum exemplis a Zacuto, Hoffmann, Pinel, Frank relatis, quibus aut imminutus, aut suppressus est menstruorum fluxus: tum nonnullarum, quae graviditatis tempore absque noxa haemorrhagiam ex pulmonibus expertae memorantur: tum virorum denique, in quibus haemorrhoidalis fluxus vices supplevisse visa est haemoptysis, vix ullo superstite ab ipsa incommodo.

XI.

Utrum ex pulmonibus, an ex aëreo canali eiectus sanguis proveniat, etsi nosse plurimi intersit; haud tamen semper est ita expeditum absque dubitatione decernere. Neque enim parva reiecti sanguinis copia hunc a trachea, maior, a pulmonibus provenire tutum praebet indicium: siquidem ratio quantitatis saepe inversa fuit observata. Rursus neque tussis praesentia sanguinis ex pulmonibus profluvium sat tuto declarat: praeterquamquod enim stimulus quicumque tracheae, aut laryngi illatus tussi excitandae et quidem saepe violentae potis est, unde etiam vocis laesio, portio etiam sanguinis ex trachea fluentis, et in bronchia illabentis pro-

fundam magis tussim ciere valet. An non etiam ipsamet pulmonum affectio sensum titillationis, ardoris, pruritus in determinato canalis aërei loco per consensum excitare potest? Hinc cur symptomata in determinato aërei canalis tractu animadversa non omnem constanter de vera haemorrhagiae sede ambiguitate removeant, eoque minus profecto, quo profundior est aërei canalis locus, unde sanguis funditur. Hinc etiam cur cl. FRANK diagnosis difficultatem expendens demum concludat: *si nullis* (inquit) *praecedentibus pneumorrhagiae symptomatibus, causisque, sub sensu titillationis, ardoris fixi in aëreo canali sine tussi, vel levi cum tussicula, et motu exiguo per laryngem emittatur sanguis: si paucos post dies tracheae ardor cum fluxu cesset, quin tussis, dyspnoea cum febre superveniat: si aegrotus iam longum tempus hoc profluvio, quin labis in pulmonibus indicia successerint, laboret, tunc certe spes magna est, tracheam, non pulmones sanguinem dedisse.* Ex his ergo perspicuum fit, nonnisi ex pluribus simul collectis, compositisque de loco, unde profluit sanguis, minus dubium ferri posse iudicium.

XII.

Quod spectat ad haemoptysim distinguendam ab oris et faucium haemorrhagia, ab epistaxi, atque ab haematemesi, quamvis nonnunquam prima fronte haud ita facile sit statuere, multa tamen quae sunt quae diligenter perpensa minus arduam inquirenti diagnosim reddere queunt. Et 1.° quidem, si ex ore, gingivis, lingua, palato, faucibus excernatur sanguis, praeterquamquod irritationis, ardoris, pruritus, titillationis sensus in hisce partibus percipitur, inspectio, ut iam

(par. III.) animadvertimus, dubitationi removendae par est. Solo etiam excreatu, ac sine tussi eiicitur cruor, nisi quando huius portio aëreum canalem ingressa, tussi excitandae valet, sicuti vomitum etiam ciere potest, cum per pharingem in oesophagum, atque in ventriculum delabitur.

XIII.

Ore emissum sanguinem ex naribus provenire indicabunt praecedentis tussis defectus, sanguinis ex emunctis naribus evacuatio, antecedentia, ac concomitantia epistaxeos signa et coniuncta, epistaxis iam praegressa. Notare tamen expedit, quotiescumque sanguis e naribus emungitur, non illico statuendum esse, ut scite monet Burserius, e naribus, ac faucibus ipsum prosilire; *nam saepenumero* (inquit) *sanguis e larynge tanto impetu profunditur, ut aliqua eius pars sursum in narium cava irrumpat; emungique anterius possit.* Propriis etiam observationibus edoctus animadvertit idem cl. Vir cum aliis Clinicis, non raro, dum sanguis per validos tussis conatus e trachea eiicitur, ex ipsius tussis nisibus ad narium vasa sanguinis impetu promoto, ex his una fluere, propterea que cavendum, ne ex utroque tunc loco eiectum sanguinem e solis naribus profluere credamus. Demum, si sanguis ore emissus coloris ad atrum vergentis, in grumos coactus, portionibusque alimentorum remixtus per vomitum reiicitur, praecedentibus nausea, vomendi conatubus, anxietate, ardore, ac pondere ad epigastrium, potiora haec sunt signa, quae haematemesim ab haemoptysi discriminare valent. Quum vero tussis, ac vomitus adeo facile simul consociari queant, nec non is illi, aut vicissim levi omnino de causa adiungi; hinc primum, quod apparuit sympto-

ma, tussis nempe, an vomitus, ad haemoptysim ab haematemesi distinguendam plurimam etiam lucem offundet.

XIV.

Haec autem omnia (par. XII. et seq.) componenda semper sunt cum illis signis, ac symptomatibus, quae sanguinis ex pulmonibus, ac canali aëreo reiectionem praecedere, et comitari (par. VII. et VIII) diximus; horum siquidem quo plura praecesserunt, ac comitantur, eo magis confirmabunt, sanguinem e pulmonibus provenire. Haud tamen fugere debet, cavendum aliquando esse, ne sanguinis eiecti qualitas fortasse imponat; non enim semper floridus, coccineus, ac spumosus (characteres iam ab ipso Hippocrate, aliisque tributi sanguini e pulmonibus reiecto) apparet cruor, sed interdum vel ob moram intra pulmones, ob stagnationem in aneurysmatico, aut varicoso tumore, vel ob pulmonum gangraenam, ac sphacelum ater, ac coactus emittitur, sicuti fluidior etiam, minusque rubescens sanguis excreatur in haemoptysi passiva, in qua etiam prodroma signa et symptomata generatim desiderantur, aut vix evidentia sunt. Hinc eo vel magis elucescit quanti intersit ad omnia sedulo attendere, summamque requiri prudentiam, et cautionem, ne subrepat in iudicando fallacia, cui tamen vitandae maximam fert symbolam caussarum tum occasionalium, tum praedisponentium cognitio.

XV.

Praeter iam allatam (par. VI.) haemoptysis divisionem in *activam*, et *passivam*, non secus ac de haemorrhagiis generatim animadvertimus, haud praetermittendae eiusdem divisiones in *essentialem*, *prima-*

riam, aut *secundariam*, in *idiopathicam*, aut *sympathicam*, in *habitualem*, et *accidentalem* nec non illam quae *haereditaria praedispositione* fovetur, vel est *acquisita*. Rursus *periodica* quoque a regulari recursu dicta est haemoptysis. *Acuta*, aut *chronica* etiam audit, nunc alterius evacuationis *vicaria*, nunc *traumatica*, ut mittamus multiplices alias ab Auctoribus traditas eiusdem divisiones a causis, quibus producitur, morbisque, quibus adiungitur, petitas, unde haemoptysis *plethorica*, *calculosa*, *phthisica*, *catharralis*, *exanthematica*, *hydropica*, *cachectica*, etc, dicta fuit.

DE HAEMOPTYSI

Art. II.

CAUSSAE, PROGNOSIS.

I.

Inter occasionales haemoptysis caussas recensentur imprimis quaecumque violentam vim inferunt thoraci, ac pulmonibus, concussio, compressio, contusio, vulnera, defatigatio ex motu vehementi, maxime ex scalarum, et locorum acclivium ascensu, ex vociferatione, tussi, sternutatione, vomitu, eiulatu, cantu, tubarum, tibiarumque inflatione, spiritus retentione, nisu valido inter pariendum, in deponendis foecibus, elevandis ponderibus: irritationes inductae a stimulantibus substantiis tum mechanico, tum alio modo agentibus, quo spectant peregrina corpora in tracheam illapsa, aër irritantibus, acribus, particulis, ac vaporibus sulphureis, nitrosis, muriaticis etc. imbutus: his etiam accensentur aër calidus, et siccus, vel nimium rarus, ac levis, ut in editioribus montibus, vel frigidior, ac humidior: animi pathemata vehementia, usus potuum aestuantium, vini, spirituosorum, coffeae nimius: lautiores epulae: acrium, et stimulantium alimentorum, condimentorumque abusus, suppressio aliarum evacuationum cum naturalium, tum artificialium, exanthematum repercussio, ulcerum praepostera exsiccatio; mercurialia,

maxime vero sublimatus corrosivus: huc quoque spectant tumores in pectoris cavo, cordis, ac vasorum pulmonalium aneurysmata, varices, polypi, pulmonum vomicae, ulcera, tubercula, induratio, calculosae concretiones, empyema, hydrothorax, hydrocardia. Rursus stases in visceribus abdominis, infarctus hepatis imprimis, lienis, uteri non secus ac tumores, vel collectiones aquarum in hac cavitate: item variae congestiones, orgasmus, membrorum mutilatio, spasmi, extremorum refrigerium, frigida balnea, eaque verbo omnia, quae directe, aut indirecte aequabilem sanguinis distributionem impediendo id efficiunt, ut maiori impetu, et quantitate ad pulmonum vasa alliciatur sanguis, aut in his congeratur, unde dilatatio, vel ruptio consequatur, in occasionalium caussarum censu numerantur.

II.

Praedispositionem ad haemoptysim faciunt praesertim aetas inter annum decimum octavum, et trigesimum quintum, labes haereditaria: mala pectoris conformatio ex gibbositate, rachitide, ossium praeternaturali configuratione, aut thoracis capacitate pulmonum amplitudini non respondente: laesa pulmonalium vasorum ratio ad cordis, aliorumque viscerum vasa: tenera, et laxa totius corporis, maxime vero pulmonum compages, pulmonum ipsorum debilitas, ac sensibilitas maior ex praegressis morbis, aut catarrho, peripneumonia, caeteris: temperamentum sanguineum, ac cholericum, plethora, victus plenior, vita iners, aut nimis laboriosa: calidum caelum, verna tempestas: praecox, aut nimius veneris abusus, nec non execrandum onanismi vitium: dyscrasiae variae: vitae genus, aut artis exercitium, unde pectus, ac pulmones praetermodum fatigentur,

aut debilitentur, vel ratione ipsius artis pateant aëri irritantibus, ac noxiis periculis foeto: hinc cur textores, pistores, molitores, lapicidae, cribratores, carminatores, metallorum fossores, ac fusores, aliique id genus artifices haemoptysi facile obnoxii tradantur.

III.

Qui etiam in memorata (§. II.) aetate constituti graciliori, ac tenera donantur corporis forma, et exquisita pollent sentiendi facultate, ac mobilitate, facile in iram sunt proclives, collo longo, pectore angusto, et magis complanato instructi sunt: qui epistaxim frequentius iam sunt experti: quibus humeri alarum forma prominent: brachia in longitudinem singularem extenduntur, circumscriptus est genarum rubor, ii prae caeteris in hunc morbum proclives sunt, in eumque, accedente levi occasionali caussa, nullo negotio labuntur.

IV.

Interim hic quoque recolenda sunt quae de haemorrhagiis generatim monuimus, nonnullas scilicet ex recensitis haemoptysis caussis nunc occasionalium, nunc praedisponentium munere fungi: ita ex. gr. sanguinis in pulmonibus congestio variis ex caussis enata facile haemoptysi potest occasionem praebere, si in pulmonalibus vasis debilitas, aut sensibilitas nimia praedispositionem fecerit: contra eadem congestio illam tantum potest praedispositionem inducere, ut, accedente tussi, clamore, aliave occasionali caussa, haemoptysis excitetur. Ingens nisus, sternutatio, declamatio; si plethora adsit, repente nonnunquam haemoptysim ciere possunt: alias plethora ipsa in homine, cui mala est pectoris conformatio, aut qui aliqua pulmonum labe detinetur, occasionem praebet haemoptysi, quod de aliis quam-

plurimis intelligendum. Quare nihil mirum, si dissensus inveniatur apud auctores in enumeratione caussarum haemoptyseos, sic, ut quae a nonnullis inter proëgumenas, ab aliis inter procatharticas recenseantur.

V.

Spongiosa et laxa pulmonum fabrica: horum cordi proximitas: arteriarum pulmonalium diameter maior respectu venarum: insignis superficiei internae bronchiorum sensibilitas solius pene aëris attactui ferendo par: caussae multiplices externae, internaeque, quarum actione continuo patent pulmones, horumque cum caeteris partibus nexus, ac consensus sat evincunt, cur frequentes adeo sint tum congestiones, tum sanguinis ex ipsis effusiones, et quidem tanto faciliores, quo maiorem sanguinis circuitui obicem opponunt morbosae caussae, vel extus admotae, vel intus genitae cum idiopathicae, tum sympathicae.

VI.

Sicuti porro nullum est dubium; quin frequenter ex vasorum soluta continuitate a violentis caussis, aut ab erosione inducta proficiscatur haemoptysis; ita ratum quoque est, in pulmonibus, et canali aëreo non secus, ac in caeteris partibus sanguinem pariter saepius profundi per dilatata eorumdem vasorum ostiola, horum proprietatibus vitalibus nunc adauctis, nunc infirmatis. Re enim vera id probare videtur nulla interdum superstes molestia ab eiectione sanguinis, quod tum in haemoptysi quam vocant spontaneam, tum in illa quae catameniorum, aut haemorrhoidalis fluxus vicaria non raro est, animadversum fuit, contra, ac observare contingit cum ex vasorum ruptura, erosione, ulcere, caeteris fuit producta. Rem magis confirmant observa-

tiones, quibus evictum est frustra saepe erosionis, lacerationis, rupturae, cicatricum vestigia in interna bronchiorum superficie quaesita fuisse in cadaveribus eorum, qui frequenter haemoptysi fuerunt obnoxii.

VII.

Quot autem caeteroquin, et quantae haemoptysim, quae iam inveteraverit, possint subsequi laesiones, ex illis, quae de ipsius effectibus (art. I.) attulimus, palam fieri potest; neque minus ex consideratione multiplicium, quibus producitur caussarum (§. I. et seq.) elucescit, mirandum non esse, si multiplicia in cadaveribus haemoptysicorum reperta numerentur vitia in pulmonibus, bronchiis, trachea, thorace non tantum, sed et in ipsa cavitate, et visceribus abdominis. Huc proprius spectant vasorum disruptio, maxime vero aneurysmatum, et varicum, aut erosio: trachea, et bronchia sanguine repleta: vasa alibi sanguine turgentia, alibi collapsa: huc quoque permulta alia, ut sunt pulmonum collapsus, indurationes, inflammationes, ulcera, tubercula, scirrhi, calcareae concretiones, adhaesiones praeternaturales; cor mole auctum, polypi in corde, vel in huius, ac pulmonum vasis: seri effusio tum in thoracis cavo, tum in pericardio, ut nihil dicamus de corporibus extraneis aliquando in tracheam, et bronchia illapsis: huc demum hepatis, lienis inflammationes, obstructiones, indurationes, caetera ab auctoribus haemoptysi denatorum cadavere rimantibus animadversa.

VIII.

Pulmonum functio, ac dignitas ea est, ut inter caeteras haemorrhagias nullam magis ancipitem, et peri-

culosam esse quam haemoptysim suadere videatur. Sane praeterquamquod continua pulmonum dilatatio, ac constrictio sat evidentem offert caussam, ut dilatatum, ruptum, sauciatum, erosum, vas difficilius consolidetur, ac coalescat; illud etiam observatione compertum est, haud ita facile perfectam recuperare valetudinem hoc morbo gravius correptos, maxime si iam recidivam pluries sint passi; siquidem haemoptysis, nisi brevi interimat, incurabilem heu! nimis frequentem pedissequam habere consuevit pulmonalem phthisim, quaeque mitis nonnumquam ab initio se prodit, saepe mox cum magno discrimine brevi ingravescit, ex quo consequitur, caeteris haemorrhagiis magis dubiam esse haemoptysis prognosim.

IX.

Verumtamen, quum aliquando absque periculo, aut saltem cum minori eamdem incedere animadversum sit; iuvabit ideo corporis statum, caussas omnes, et observatos effectus sedulo rimari ad illa omnia, quantum fieri potest, assequenda, quibus innixus Clinicus aliquid de futuro exitu, qua decet prudentia, pronunciet: qua quidem in re scite monet Hoffmannus, cavendum ipsi esse, *ne promissis de restituenda salute sit dives; vicissim laborantem gravi mortis metu percellere non debere, ut, indicto magno periculo omnibus viribus eum privet, et mortem* (ut sibimetipsi observare contigisse testatur) *acceleret.*

X.

Illud interim statui posse videtur, maius, vel minus haemoptysis periculum non solum ab eiecti sanguinis copia, et sauciati vasis magnitudine deducendum esse, sed sanguinis profluvium quod malam thoracis confor-

mationem subsequitur, quod in cacochymo, aut dyscrasia aliqua laborante supervenit, aut haereditariam agnoscit labem, aut ex nativa pulmonalium vasorum teneritudine, aut sensibilitate morbosa inducitur, quod frequentius recidivam patitur, quod ex disruptis, vel erosis vasis proficiscitur, vel ex profundiori loco advenit, peioris ominis esse, quam in oppositis adiunctis. Periculosior est haemoptysis, quae aetate nimis provectos adgreditur; facilior enim tunc sequitur virium deiecto, etsi non tam profusa fiat sanguinis evacuatio; gravis quoque subest metus in illis, in quibus diuturnum moerorem subsequitur haemoptysis, eoque maior, si viscerum ventris obstructionibus contumacibus, aut dyscrasia aliqua conflictentur.

XI.

Vix sanationis spes superest si a laesa pulmonum organica structura haemorrhagia sobolescat: si pulmones tuberculis, scirrho, vomicis obsideantur, vel vasa polyposas recondant concretiones, vel aneurysmata, ac varices praesto sint, ex quibus crebra, et profusa sanguinis effusio contingit brevi saepe funesta: malum si sanguis niger, coactus, faetens eiicitur, vel cum pure, aut sanie commixtus. *A sanguinis sputo, puris sputum malum*, iam dixit Hippocrates. *Intense* (ait idem) *febricitare, ac tussire, ac dolere, et sanguinem recentem semper spuere minime conducibile.* Magnum pariter incutit metum haemoptysis maxime si copiosa, quam febris, dyspnoea, oppressio, pectoris angustia vehemens praecesserunt, et maius admodum incutit discrimen, si, cessante cruoris profluvio, febris, tussis, dispnoea perseverent. Aleae plena res est *quum sanguis* (sunt verba Frank), *cum impetu fluidus, coccineus, sub ebul-*

lientis quasi in cavo thoracis profundo aquae strepitu ex trachea per vices praecipitat, cui extrema frigere, vomitus, lipotymias repetitas, nec tamen fluxus cohibentes convulsiones succedere animadvertitur. Inveterata demum, et chronica haemoptysis, aut phthisi pulmonali superveniens omnem fere medicinae vim eludit non secus ac illa, quae ab hydrothorace, hydrocardia, empiemate subsequitur.

XII.

Sicuti autem non minus observationibus confirmatum est, ab haemoptysi etiam copiosa non paucos feliciter evasisse, quibus tempestive propinata sunt auxilia, aptumque vitae regimen imperatum, nec raro vix pertimescendos induci ab eadem effectus (§. X, Art. I.); hinc fit, ut iuxta contrariorum legem ex corporis statu, morbi caussis, atque effectibus pariter consideratis ea fas sit medenti haurire indicia, quibus recte compositis, ad faustum haemoptysis exitum praevidendum minus salebrosum pateat iter. Haud ita metuendum, si facile sanguis egeritur nec nimius, nec rebellem tussim, anxietatem, dyspnoeam, dolorem relinquit, nec revertitur facile; ab externa caussa producta haemoptysis minus persaepe discrimen portendit, ut et illa, quae robustos homines corporis exercitio parumper violento deditos adgreditur, quibus nulla est haereditaria vel ex vitio aliquo, aut labe inhaerente praedispositio; sicuti pariter nullum saepe tristem post se trahit effectum spontanea haemoptysis, quae bene valentem, plethoricum, vel ex clamore, vociferatione, atmosphaerae imminuto pondere primario invadit.

XIII.

Minus ominosa generatim consuevit esse haemoptysis

in sequiori sexu, atque in hoc quidem absque ullo malo effectu menstruorum loco apparuisse sanguinis e pulmonibus profluvium, horumque vices tenuisse per sat longum tempus, illaesa caeteroquin salute, animadversum est. Nec raro exemplo ipsae utero gerentes absque sensibili incommodo huic profluvio obnoxiae numerantur. Non desunt etiam observationes de haemorrhoidum fluxu sine discrimine, aut saltem, nullo superstite gravi incommodo, in haemoptysim mutato. Minus facessit negotii haemoptysis, quae per simplicem vasorum dilatationem locum habet. Modicum e pulmonibus sanguinis profluvium in pectoris inflammationibus boni ominis esse aliquando potest. Absit tamen, ut adeo facile credamus, eam, quae ab aliis haemorrhagiis habetur ab haemoptysi utilitatem pari ratione expectandam esse in acutis morbis. Neque cum haemoptysi confundenda sunt sputa subcruenta, aut striis sanguineis remixta, quae in pneumonia, aut pulmonum catarrho egeruntur.

XIV.

Sanguinis ex trachea, aut larynge profluvium minus ominosum est, quam quod ex bronchiis fit. Si tamen ex gravi harum partium laesione inducatur, non caret periculo, et iustum incutit metum, ne ipsum phthisis, quam trachealem vocant, mox subsequatur.

XV.

Illud demum animadvertere praestat, in secundaria, ac symptomatica haemoptysi non minimam lucem ad ipsius prognosim assequendam mutuari cognitam naturam morborum, quibus supervenit, ac caussarum, quibus fovetur. Sicuti enim spei plurimum superesse potest, si praesto sint remedia morbo, aut caussae

debellandis accommodata, quibus haemoptysis sustinetur: ita de aegrotante actum esse concipitur, quando immedicabile est vitium quo fovetur sanguinis profluvium. Quocumque autem in casu iuvantium, ac laedentium observatio non parum confert ad futurum haemoptysis exitum praenoscendum, eaque, quae Medicum semper decet, prudentia praedicendum.

DE HAEMOPTYSI

Art. III.

CURATIO. PROPHYLAXIS.

I.

Inter morbos iure numeratur haemoptysis, in quorum suscipienda curatione praeceps est occasio. Ut itaque opportuna tempestive in usum ducantur auxilia, inspiciendum statim quaenam sit haemoptysis indoles. Si nempe aetas, temperamentum, praegressae caussae, ac prodroma signa non minus quam concomitantia pathemata adauctam vasorum vim, et sanguinis impetum ad pulmones manifesto arguant; nulla prorsus illata mora, ad sanguinis missionem est properandum, eamque iteratam, prout aegri status, vires, dyspnoea, pectoris ardor, impetus profluentis sanguinis, febris, dolor, praegressae caussae iubebunt. Qua quidem in re, si virium vigor, et manifesta plethora vigeant, de cordatorum Clinicorum sententia iuvabit parumper excedentem quam iuxto parciorem sanguinis copiam mittere. Minor etiam sanguinis eruptio in plethoricis, in sanguineo temperamento donatis eveniens copiosam saepe, et iteratam venae sectionem exposcit, ne vasa leviter tantum laesa per impetum succedentis sanguinis magis distendantur, ac dilacerentur, et gravior haemoptysis leviorem sequatur.

II.

Neque pulsus parvi, contracti, neque apparentia languoris, animi defectionis, virium concidentia fallacia saepe signa, dummodo ex caeteris indicetur, obstaculo esse debent, sicut in aliis, ita maxime in pulmonum haemorrhagia, ad celebrandam venae sectionem: hinc cur nonnulli veriti non sint sanguinis missionem usque ad animi deliquium ſaciendam proponere in haemoptysi, observationibus edocti, ex languore a vasorum inanitione exorto sanguinis impetum refraenari, atque hinc haemorrhagiam citius compesci; quod, etsi ultro largiamur, malumus tamen illorum consilio adstipulari, qui, repetitis potius longiori breviorive intervallo venae sectionibus, sanguinem modica quantitate mittendum esse suadent, observatis interim effectibus, quam ingentem sanguinis copiam una vice detrahere. Caeterum, etsi, ut ait Burserius, non timide, prudenter tamen semper incedendum esse non diffitebimur in quantitate sanguinis detrahenda, quod oculati, et sagacis Clinici erit ex aegri statu, morbi vehementia, ac periculo, non secus ac ex observatis effectibus decernere.

III.

Quoad venae, unde sanguinem mittere expediat, selectum, generatim statui potest, non multi interesse, dummodo cito id ſiat, et ex amplo vulnere; hinc secta vena brachii, manus, mox ex pede, et ex locis, unde sanguis ſluere consueverat, mitti potest, tum ut a pectore sanguinis impetus deducatur, tum ut consuetae evacuationes restituantur. Hinc patet utilitas hirudinum sedi, pudendis applicitarum, si haemorrhoidum, vel menstruorum suppressio haemoptysi occasionem praebuerit.

IV.

Tenuissimus hisce in adiunctis sit victus oportet, ex solis fere iusculis iunioris pulli, vitulinae carnis, ranarum, in quibus parva contriti panis quantitas incocta sit, aut hordei, vel oryzae farina, stimulantibus ac calefacientibus ablegatis: insulsa, vel saltem admodum modica salis quantitate condita esse debent alimenta: potiones ex aqua pura syrupo, aut melle edulcorata concedi possunt, vel ex decoctionibus graminis, hordei, oryzae, liquiritiae, altheae, caricarum pinguium, iuiubarum, similibus appropriatis syrupis, ad libitum, et ad gratiam pro opportunitate additis; temperatus sit oportet caloris gradus, quo tum alimenta, tum potus exhibentur, vel is, quem anni tempus, atmosphaerae constitutio, et aegri adiuncta indicabunt. Lac quoque amygdalarum dulcium, ut et emulsiones optime cedunt, si ventriculus ferat; sicuti etiam serum lactis, utpotequod opportunum alvi libertati servandae, cui secus laxantibus clysteribus, aut eccoproticis, iuxta indicationes, prospiciendum est. Utiliter quoque sero lactis nonnunquam incoquitur cremor tartari, aut tamarindorum pulpa. Cum emolumento in hac haemoptysi digitalem, aquam coobatam laurocerasi, secale cornutum exhibuisse legimus cordatos Clinicos.

V.

Mercandum magis in haemoptysi cum usu acidorum, quod ex his facile tussis moveatur, aut iam praesens exasperetur, propter eaque diluta admodum sunt praebenda, aut mucilaginosis mixta, et observandus, sedulo eorumdem effectus, ut ipsorum usus omittatur, quotiescumque metuenda ex his oriuntur incommoda. Cautiones etiam requirit nitri administratio ob eamdem

rationem, hinc parvis potius, et iteratis dosibus conserva aliqua obvolutum, aut emulsione, vel lacte amygdalarum dulcium cum gummi arabico solutum propinari debet.

VI.

Prout vero cum sanguinis excreatu pari passu minuuntur symptomata tum praecedentia, tum concomitantia, pleniore magis victu nutriendus est aeger, per gradus tamen adaucto, atque alimentis facilis digestionis, nec unquam magna semel copia exhibitis, sed per intervalla sumptis. Caeterum servandum est per sat longum tempus appositum regimen, eaque praesertim sedulo vitanda, quae directe, aut indirecte morbi recidivae facilem possunt occasionem praebere.

VII.

Aliter res se habet cum indoles haemoptysis passiva est, tum si iam nimia vires exhauriens sanguinis copia sit reiecta, etsi activa ab initio fuerit, tum si ab adiunctis, et caussis praegressis, passiva statim apparuerit: tunc enim omnis in eo ponenda sollicitudo, ut haemorrhagia compescatur remediis ex adstringentium, ac tonicorum classe petitis, illis pro opportunitate selectis, eaque formula, ac dosi propinatis, quae aegri tolerantia, complexus symptomatum, non minus quam cognita caussarum natura docebunt. Quare frigidus, aut etiam gelidus potus, huius generis frigida applicita thoraci, scapulis: artuum ligaturae: tonicorum, adstringentium prudens, et cauta administratio, ita tamen ut caussarum, quibus produci, ac sustineri videtur sanguinis profluvium, morborum, quibus supervenit, et adiunctorum etiam symptomatum diligens habeatur ratio, ne dum morbo, aut urgenti alicui

symptomati opitulari nitimur, alterum fortasse exasperemus, et maiori etiam cum discrimine, hinc cur tonica, et maxime adstringentia modo citius, modo nonnisi post tempus in usum ducenda, modo nervinis, antispasmodicis, mucilaginosis consocianda, atque in eorumdem selectu a mitioribus incipiendum esse, mox ad magis activa transeundum, doceant cordati Clinici; tussim siquidem, oppressionem, dyspnoeam ab horum usu frequenter adaucta testantur observationes; horum itaque sedula habenda est ratio: acidum sulphuricum, aqua Rabelii solutioni mucilaginosae addita, oxycratum, syrupus de aceto, vel limoniorum: solutum in appropriatis decoctionibus, aut linctubus alumen, aut iis addita aqua styptica votis cedunt, tum etiam aluminis pulvis, gummi-kino, succus cathecu cum conserva rosarum rubrarum, cydoniorum, aut confectione hyacinthina sub boli forma praescripta, aut secundum artem in pilulas redacta. His peruvianum corticem, eiusve extractum sicuti et illud ratanhiae utiliter consociari, vel huius decocta cum fructu exhiberi ex cognita huius remedii tonica, et adstringente virtute sat constat. Neque profecto obstat, quin tonica, et adstringentia opiatis consocientur cum spasmi, vigiliae, tussis, vehementia, summa aegrotantis sensibilitas, et irritabilitas horum usum exposcunt: tunc thaeriaca, electuarium mitridatii, pillulae de cynoglosso, de styrace, vel opium purum, aut ipsius extractum gummosum, vel acetas morphinae usuveniunt, vel tinctura anodyna, appropriatis linctubus, ac vehiculis addita minori primum, aucta deinde dosi, prout indicatio urget. Utrum opii praeparatum, quod nomine *aethiopis vegetabilis* insignitum fuit, revera caeteris praeparatis praestet, du-

bitari potest; etsi speciatim in haemoptysi commendatum fuisse legimus. Neque accuratis observationibus magis constat de virtute digitalis purpureae, cuius infusum, addita tinctura anodyna, aut aqua cinnamomi, ac grato simul syrupo, haud raro in haemoptysi conducere, ait Frank. Suspectam pariter in haemoptysi emeticorum virtutem esse horum remediorum actionem perpendenti manifestum est; hinc cur ipecacuanha a nonnullis proposita ita refractis dosibus, si quando indicetur, praescribenda commendetur, ne vomitum moveat. Tutius praescribuntur purgantia, quibus non solum materierum stimulus subducitur, unde etiam sanguinis circuitus impeditur, sed etiam quod utilem stimuli revulsionem ab iisdem sperare fas sit.

VIII.

Cum excitandi, tum revellendi scopo vesicantium applicationem commendari notum est; hinc repetenda horum thoraci, inter scapulas, alibi admotorum utilitas in haemoptysi, et quidem maior, si retropulsa exanthemata morbo ansam dederint, aut catarrhalis affectio. Quare suus etiam est vesicantibus locus, dummodo ea absint adiuncta, quae a cantharidum actione pertimescendum esse doceant, quo quidem in casu alia rubefacientia substitui possunt. Excitandi, ac revellendi, qua pollent, vi, non minus quam circuitum sanguinis expediendi utiles etiam sunt crurum, ac pedum frictiones, fotus, balnea tepida, uti et cucurbitulae, quarum imo applicationem plantis pedum non desunt qui fidenter proposuerint in haemoptysi.

IX.

Quoad sanguinis missionem in haemoptysi passiva, iuvabit breviter animadvertere, pulmonum haemorrha-

giam eam esse, quae prae caeteris ad maius, et promptius avertendum periculum, aut ad illius praecavendos effectus, eo ducit Medentem, ut facilius moderatae sanguinis missioni locum concedat. Quamvis enim ex hac vires aegri parumper infringi queant; attamen, praeterquamquod ex ipsomet sanguinis profluvio certe virium collapsus, et fortasse adhuc maior pertimesci debet, magis adhuc metuendi sunt subsequentes ab ipsa haemorrhagia effectus. Nempe, aliorsum deducto per venae sectionem sanguinis impetu, vel evocato ad loca consueta, a pulmonis vasis minuitur. Adde quod saepius etiam sub ipso sanguinis excreatu oppressio, anxietas, dispnoea, febris manifestam congestionem arguant, cui non minus quam profusiori, quae iure metueretur, haemorrhagiae obviam ire potest venae sectio, ex qua propterea non solum praesentia, sed etiam futura incommoda nonnunquam praecavere datum est, vel eo magis, si caetera in usum ducta auxilia parum, aut nihil profecerint. Dabimus utique, frequentius indicationes mittendi sanguinis, quae in hisce adiunctis exhibentur, palliativam respicere methodum; at non minus Medentis est aegri vitam pro viribus servare, eiusque aerumnas lenire, et semper urgentiori succurrere. Quocumque demum in casu non diffitebimur, summo semper cum moderamine incedendum esse, summamque requiri prudentiam oculati Clinici, cuius ingenium in ancipiti casu aliquando revera torqueri in confesso res est.

X.

Quod si haemoptysis ab aliquo vitio corpori inhaerente, ac dyscrasia foveri perspicuum sit, sponte fluit, eiusdem curationem auspicari oportere iis auxiliis, quae

peculiari vitio, aut dyscrasiae tollendae, aut infringendae sunt accommodata. *Morbi* (habemus ex generalibus Medicinae praeceptis) *curandi sunt*, *non symptomata*, *nisi haec illis periculosiora sint*. Eo nempe saepe redacta est rerum angustia, ut omissa caussae, aut morbi consideratione, illuc statim convertendus sit animus, ut sistatur sanguinis profluvium, ex quo proximum imminere deprehenditur vitae discrimen. Hinc cur in ipsa haemoptysi, quam pulmonum labes schirrosa, vel ulcerosa, vel viscerum imi ventris obstructiones, vel spasmodicae affectiones, aut hypochondriaca passio, vel scorbutica, herpetica, aliave discrasia fovet, non raro curativa hisce morbis appropriata methodo seposita, modo iuxta necessarias cautiones sanguinis missioni locum concedere necessum sit, modo ad adstringentia illico confugere, nihilque eorum intentatum relinquere, quae ad vires, ac vitam cum sanguine servandam ars suppetit. Caeterum, ut paucis perstringamus, ex speciali aegrotantis examine diiudicare fas erit, quando corpori inhaerenti labi, aut morbosae affectioni potiusquam ipsi haemorrhagiae, succurrendum sit; id enim per se sat manifestum est, eradicativam, ut inquiunt, curationem in caussae, morbique primarii remotione unice quaerendam esse.

XI.

Quod ad haemoptysim pertinet, quae alterius evacuationis vicaria est, quamvis sub sanguinis fluxu vix ulla exposcere videatur auxilia, nisi limites excedat; cum tamen in progressu fieri non possit, quin tandem aliquam pulmonibus labem inducat, id curandum, ut, tum a Chirurgia, tum a Pharmacia petitis auxiliis, appositoque corporis exercitio, ac vitae regimine, occur-

ratur, caussis sanguinis fluxum e propria sede turbantibus; consuetis enim restitutis sanguinis evacuationibus perfecta haemoptysis habetur curatio; hinc catameniorum loco contingentem haemoptysim praevenire, ac curare novimus tepentibus semicupiis, fotubus pudendis admotis, aut susceptis aquae vaporibus, pediluviis, indicatis, pro re nata, venae sectionibus in pede institutis, tum praesertim hirudinum ope ex haemorrhoidalibus vasis, aut ex pudendis detracto sanguine, necnon emmenagogis prudenter, et iuxta peculiaria adiuncta selectis, praescriptis. Neque minus obvium est haemoptysi cum felici successu occurrere, quae a feriante haemorrhoidali fluxu sobolescit, hunc ciendo fotuum, aut vaporum auxilio, hirudinibus haemorrhoidalibus vasis admotis, eorumque remediorum ope, quae turbatum per hanc viam sanguinis circuitum expediunt, ac speciatim ad vasa haemorrhoidalia eumdem determinant, ut suo loco expendemus.

XII.

Sanguinis excreatu cohibito, sedulam tunc vacat conferre operam, ut sedentur quae supersunt symptomata, ex quibus metus est, ne sanguinis profluvio nova inferatur occasio. Tunc praesertim id pro viribus nitendum, ut appositis auxiliis therapeuticis, non minus quam congruo regimine, facilis praecaveatur recidiva, et effectibus ex haemoptysi enatis obviam fiat. Contingit non raro, ut, iam cessante sinceri cruoris eruptione, ater tamen, grumosus, tenaci muco remixtus eiiciatur sanguis, alias hic effusus, ac stagnans cum periculo retineatur. Lenibus tunc expectorantibus adiuvanda excretio; quo conferunt moderate calentia decocta, vel infusa verbasci, hederae terrestris, hyssopi, veronicae,

similium, melle aut appropriatis syrupis edulcorata, syrupi quoque pectorales de arundine, de althaea, de erysimo, tum oxymel simplex, aut saccharatum cochleatim sumpta huc faciunt. Quae vero vehementiorem exerunt actionem, ut sunt scillitica, ac stibiata, summam omnino requirunt cautionem, ne ex concussione nimia thoraci illata noceant sanguinis excreatum renovando. Quod si molesta, quod frequentius contingit, vexat tussis, mucilaginosis haec, aut oleosis, ac syrupo diacodii compescenda, hisque irritis ad prudentem opiatorum usum confugiendum, ex quibus summa etiam habetur utilitas, cum vigiliae, ac spasmodicae vexant affectiones. Numquam tamen fugere debet diligens, atque attenta inquisitio, utrum memorata symptomata a praesentibus adhuc activae congestionis indiciis foveantur; si enim cum tussi anxietas, dispnoea, calor, febris vigeant, antiphlogisticae tunc methodo, nec raro sanguinis missioni locum adhuc fieri posse, perspicuum est.

XIII.

Ex varia haemoptysis indole, tum ex caussarum diversitate, ratione semper habita peculiarium, si quae sunt, adiunctorum, haud difficile erit assequi tutiorem, quam sequi praestet, normam in regimine, atque in alimentorum, et remediorum selectu, quibus et confirmetur salus, et facilis praecaveatur recidiva, eodemque tempore tollantur, ac emendentur effectus ex ipso morbo inducti. Et quoad regimen primum spectat, nimium temperaturae frigus, aeque ac exaestuans calor vitanda, et cavendum ab atmosphaerae vicissitudinibus, et ventorum afflatibus: vestibus nimis arctis vitatis, moderate sic tectum corpus, habita ratione incolatus, et anni tempestatis: corporis illud exercitium conceda-

tur, quod aegri viribus, constitutioni, consuetudini, ac tolerantiae accommodatum sit: huc pertinet deambulatio, equitatio, vectio in rheda, navi. Sedulo amoveantur illa omnia, quae pulmones fatigant, acclivium locorum ascensus, cantus, declamatio, tubarum inflatio, ipsiusque loquelae moderatum omnino sit exercitium: absint venereae illecebrae: vitentur animi pathemata violenta, et quaecumque sanguinis motum nimis concitare valent, aut eiusdem circuitum impedire. Exulent verbo, quae morbum iam excitavere, caussae, quibus adhuc praesentibus, non minus quam reliquiis tum ab his, tum a morbo superstitibus tollendis, infringendisve, sollicita semper danda est opera.

XIV.

Non minoris momenti est alimentorum selectus, tum quoad qualitatem. Qua quidem in re adeo longa, et scrupulosa requiritur aegri constantia, ut, si ab hac recedat, irrita persaepe evadant caetera artis conamina. Facilis digestionis sint alimenta oportet, atque ita quoad quantitatem, et intervalla sumenda, uti vires inde serventur, atque erigantur, non obruantur. Quae simul demulcentia, sunt praeferenda. Pulmenta itaque ex farina tritici, hordei, oryzae, huc pertinent, uti foeculae ex maranta ex tuberibus terrae. Ova recentia sorbilia, elixae, vitulinae, aut pulli gallinacei, aut columbini, ranarum, helicum ac testudinum carnes, horumque iuscula ad rem faciunt. Huc quoque spectat lac, si ventriculus ferat, quod tum per se, tum pulmentis conficiendis aptum suppeditat vehiculum. Neque aliquid obstat, quin piscium aquae dulcis, tum olerum nonnullorum, ac horraeorum fructuum, pro re nata, concedatur usus.

XV.

Interim si contingat, ut in progressu vires nimis vigere, aut iam luxuriare deprehendantur sic, ut vel levis ex plethora subnasci videatur congestionis in pulmonibus metus, praestabit tunc non severiore tantum renovata diaeta, sed aliquando etiam opportunis pro tempore sanguinis detractionibus easdem imminuere, aliisque iudicatis auxiliis impetum a pulmonibus avertere. Contra si vires torpescant, et concidant in dies; non solum magis indulgendum in alimentorum quantitate, necessariis, tamen cautionibus exhibita, sed etiam ad illa tum alimenta, tum condimenta gradus faciendus, quae tonica magis, ac roboranti vi sunt insignita. Hinc quanto facilius hisce in adiunctis vini, atque nonnullorum aromatum, uti et animalis euchimus et analepticus victus potest concedi, tanto aegrius, et ferme nunquam, in statu contrario haec admittenda esse, consequitur.

XVI.

Ex illis, quae de remediorum praescriptione iuxta haemoptysis ingenium, caussasque attulimus, eruendum, quousque ipsorum sit protrahendus usus, ut penitus quantum fieri potest devincantur caussae, emendentur effectus, ac vitetur recidiva. Illud recolere sufficiet, virium ab absoluto profluvio considerationem, diathesim praedominantem, et perspectos remediorum effectus, maximam effundere lucem in eorum selectu, et administratione. Hinc cur ex. gr. si activa fuerit haemoptysis, viresque sat vigeant, temperamentum sanguineum, aut biliosum sit, summa irritabilitas, aut in plethoram proclivitas, subacidis, diluentibus, temperantibus pugnandum sit, paucis in antiphlogistica methodo perse-

verare oporteat; contra in oppositis adiunctis tonica, roborantia, quae inter china-china, ac martialia eminent, analeptico victui consociata, ea sint, in quorum usu praestet insistere.

XVII.

Quemadmodum vero adeo multiplex interdum occurrit complexus, ut non raro anceps haereat Clinicus, quod consilium fidentius sequatur, concludemus cum cl. Frank monente « nunc omne systema, aut per ea, quae solidorum vim nimiam infringant, nunc per « illa, quae nimium languidam intendant, auxilium ex« petere: nunc vero pulmones, aut partes alias vici« nas, longinquas mechanica actione, vel consensu in « pulmones, imperantes, vitium locale corrigendum of« ferre: nunc autem utrumque hinc inde concurrere, « ac methodum, ut ipse morbus complicatus est, « compositam exigere. »

XVIII.

Caeterum, quae de prophylaxi haemorrhagiarum generatim animadvertimus, huc quoque referenda, id unum adhuc subiungemus, summi interesse in praedispositis ad haemoptysim (art. II.) cavere a caussis quibuscumque occasionalibus. *In praedispositis enim*, inquit Gaubius, *si ab occasione caves, caves a morbo.* Ita agendo factum est, ut non ab haemoptysi tantum quam plurimos praeservare fuerit datum, sed et ab ipsa pulmonali phthisi, frequentissima illius sequela.

DE HAEMOPTYSIS, SEU PNEUMONORRHAGIAE CONSECTARIA PNEUMONOPHTOE.

I. *A sanguinis sputo*, *puris sputum malum*: *a puris sputo tabem* promanare iampridem innuerat sapiens medicinae Parens, ex quibus palam fit haemoptysim heu nimis! pedissequam habere consuescere *pulmonalem phtisim*, ominosum plane morbum.

II. Quemadmodum vero ad haemoptysim ita ad phthisim maxime patent qui gentilitio ex tramite habitum *phthisicum* sic dictum nanciscuntur, ex quo si una procatharticae confluant causae, nullo negotio phthisim sobolescere per observata evictum.

III. *Phthisicum* autem habitum portendunt corpus procerum cuti alba, tenera, musculis flaccidis instructum, thorax complanatum, angustum, prominentes scapulae a costis alarum instar distantes, collum longum, et tenue, genae elatae, roseo colore circumscriptae, vox acuta, et rauca.

IV. Perinde ac haemoptysi, phthisi frequentem prophasim praebent tubercula in pulmone genita, quae celeriter modo, modo lenta phlogosi tentantur, atque in suppuratum ulcusque abeuntia pulmonum compagem exedunt sicuti graphise carminibus cecinit Hebenstreit.

V. Anotomico-pathologicae inquisitiones docent tubercula constare ex substantia opaca, nunc alba, nunc cinerea, nunc flavescente, eorumque alia distincta

membrana obvolvi, alia huiusmodi cystide carere, atque ex intima pulmonum substantia emergere.

VI. Etsi phthisis denatorum sectiones pulmones duris tuberculis interspersos cum interpositis abscessibus minime exesos, sed potius tumidiores, ponderosiores quandoque sub adspectum subiecere, saepius tamen pulmonum parenchyma adeo absumptum ostenderunt ut alterius pulmonis lobi solum pars aut vestigium superesset.

VII. Sentiunt complures rerum medicarum scriptores tubercula in bronchialibus glandulis, ac lymphaticis vasis sedem habere: ipsa autem frequentius eidem cellulari interlobulari solitaria, vel agminata insidere, ac phlogosis pene semper sobolem esse nuperiorum pathologorum observata evincunt.

VIII. *Phthisis* vocabulum corporis contabescentiam generatim significat a graeca voce phtio (corrumpo, contabesco): hinc phthisis pulmonalis audit lenta totius corporis consumptio a pulmonum labe.

Quum vero aliorum viscerum, aut etiam totius systematis culpa contabescat corpus et variis etiam morbosis pathematibus sociata ideo incedit, phthisis; hinc cur praeter phthisim pulmonalem, hepatica, chlorotica, hypocondriaca, mesenterica, asthmatica, scrophulosa, scorbutica, syphilitica etc. dicta sit; verum, caeteris missis, de pulmonali tantum agemus, quae ex pulmonum labe vel primaria, vel secundaria (quod frequentius), sobolescit; haec autem varia sibi adsciscit coniuncta, atque multiplicibus stipatur pathematibus prout *incipiens* ipsa est, aut *confirmata*, quae perbelle cecinere Hebenstreit, et Eques Marenco noster, qui sic fatur:

Quam saeva invadat miserorum pectora labes,
Praecipuae prima florentum aetate iuventae,
Quae tristi exhaustos macie consumit et imum
Pulmonem primo, hinc totos depascitur artus, etc.

Haec autem summatim perstringemus.

IX. Tamquam prodroma incipientis phthisis signa recensentur tussis initio sicca, alias mucosa, frequens, ad vesperas molestior; levis pectoris oppressio, raucedo, vagus nonnunquam thoracis dolor interdum in quadam regione fixus, siccus praesertim in vola manus, urensque calor; difficilis ex mutato decubitu, acclivium locorum ascensu, vel a motu celeri respiratio: quae quidem symptomata pro simplici phleghymenite aut myosite rheumatica haud raro imponunt.

X. Verum ingravescens tussis, magis anxia respiratio, pulsus frequentes, contracti, duriusculi: febricula calore, et rubore genarum concomitata; praecordiorum gravitas, et constrictionis sensus in thorace praesertim post motum, incipientis phthisis non dubia signa sufficiunt. Atque hic quidem status (par. ant.) gravioribus, levioribusque stipatus symptomatibus, hisque numero pluribus, vel paucioribus diversam adeo exhibere potest durationem, ut ad menses, et ad annos etiam protendatur, etsi per intervalla exacerbari, et remittere queat.

XI. Progrediente morbo augetur tussis levissimis de causis exacerbata, raucedo accedit, excreatus copiosiores fiunt, iique spumosi nonnunquam striis sanguineis intermixti, plus minus densi, alias globosi, salsi interdum, nunc insipidi, nunc subdulces.

XII. Iam tunc praesto est febris *hectica*, et corpus emaciatur, sputa male olere incipiunt, et purifor-

mem catharrali mixtam materiem, aut genuinum pus exhibere: urinae, quae prius saturae subrubrum, aut albescens deponebant sedimentum copiosiores redduntur; nec raro oleaginosam substantiam in superficie supernatantem ostendunt, alvus facile soluta evadit, vespertinae, aut nocturnae febris exacerbationes manifestae fiunt, uti et ab assumpto cibo ingravescere consuevit febris: tenues sudores, pectus, et collum occupant; corporis vires deteruntur, iamque *confirmata* phthisis est.

XIII. Quum ad hunc statum pervenit morbus (§ ant.) celerius incedit, macies in dies progreditur, et brevi tempore ossa undique prominentia, sola fere cute tecta apparent; appetitus, qui huc usque vigebat, aut maior interdum aderat, deiicitur: languidi, et fixi evadunt oculi intra orbitas profunde depressi: tempora excavantur, dum genae magis prominere videntur, gracilescunt nares, defluunt capilli, ungues incurvantur, lingua et fauces quasi levi erysipelacea inflammatione tactae rubent intense, aut aphtis deturpantur: vox rauca, clangosa fit, respiratio orthopnoica, pulsus celeriores, exiliores fiunt; etiam mitescente calore profusi nocturni sudores: frequentissimae serosae, aut seroso-mucosae evacuationes alvi, et extremitatum nonnunquam maxime inferiorum intumescentiae accedunt: tussis mox, et expectorationis suppressio cum anxia, et difficillima respiratione, pulsibusque celerrimis, et exilissimis miserrimae vitae finem imponunt, saepe etiam inopinate, dum aeger sibi continuo blanditur, atque in extrema virium concidentia mentis facultates adhuc servat, suique compos permanet, etsi alias per intervalla, levi delirio, aut vaniloquio detineatur: immo non desunt

observata, quae testantur mentis functiones in tanta corporis extenuatione alacriores factas, ingeniique, perspicaciae, ac memoriae vim adauctam.

XIV. Mittimus casus, in quibus quocumque tempore, aut ex profusa haemoptysi exinanitus, aut a sanguine, vel catharro congestis suffocatus aeger repente occumbit.

XV. Neque hisce limitibus continetur symptomatum caterva, quae in vario pulmonalis phthisis stadio observata traduntur: siquidem alia quamplurima iuxta varietatem causarum, unde exorta est, morborumque, quibus adiungitur, aut supervenit, accedunt: dolores nempe acuti, lancinantes in aliqua thoracis parte per intervalla exacerbati, aut ex motu adaucti: vomendi conatus frequentes, vomitus nunc inanes, nunc assumptorum, vel pituitosae, aeruginosae, biliosae materiei: cordis palpitationes, lipothymiae, spasmi, excreatus, praeter iam descriptos (par. XI.), qui substantias polyposas, carneas, membraniformes, cartilagineas, gummo-resinosas, calcareas referunt; alias luridum sanguinem, alias mucum plus minus densum, albescentem, coeruleum, intense flavum, aut etiam viridescentem aemulantur: ulcera variis in corporis partibus, maculae scorbuticis similes in cute apparentes, anomalae ipsius cutis efflorescentiae, alias herpeticae, erysipelatosae, numero demum vix finitae in febris indole, typo, duratione, exacerbationibus, in pulsuum qualitate, in excretis, ac retentis, in functionum exercitio anomaliae, et aberrationes observatae referuntur.

XVI. Vix aliquid certi statui potest de phthisis pulmonalis decursu ac duratione: quanto tamen diutius

protrahitur *incipiens*, tanto celerius progredi consuevit *confirmata*.

XVII. In graviditate pene siluisse animadversum est phthiseos simptomata, foetu vero edito denuo magis saevisse: caeterum ad chronicorum morborum provinciam iure eamdem referri nemo inter Clinicos inficiatur.

XVIII. Vitia, quae in cadaveribus phthisi pulmonali denatorum occurrunt, sequentia praesertim recensentur: pulmones scilicet consumti, exesi, excavati, variisque cavernis defoedati, hinc inde indurati, hepatis firmitatem nacti concretiones varias tophaceas, calcareas, scirrhosas exhibentes, vicinis partibus pluribus in locis adhaerentes: ipsorum tunica crassior, ac pene callosa facta, purulenta, saniosa, seroso-sanguinea materies hinc inde effusa, aut in tuberculis, aut praeternaturalibus cystibus contenta: vasa alibi inflata, alibi flaccescentia erosa, lacerata: pulmones nunc ab insigni tuberculorum numero ac volumine, mole adaucti, alias vero aridi, exsucci inventi sunt, ut mittamus plurimas alias aberrationes non in thorace tantum, sed et in ipso abdomine, cuius viscera, hepar, lien, pancreas consimilibus defoedata vitiis cernere licuit, uti a diligentibus prosectoribus, praesertim vero a Morgagno, Lieutaudio, Portal, Andral traditum fuit.

XIX. Gracilis et mollis totius corporis habitus: debilis et delicata pulmonum constitutio; praesertim mala thoracis conformatio, humeri elati, collum longum ac tenue, cutis pellucens, tenera, candida: labes haereditaria, floridus genarum color, dentes candidi, inter magis obvias phthisis pulmonalis caussas praedisponen-

tes recensentur, ac ipsi magis obnoxia est aetas inter annum decimum octavum et trigesimum quintum.

XX. Inter occasionales caussas numerantur gravia et diuturna animi pathemata, vigiliae, et studia minus protracta, magna vocis contentio, et cantus exercitium, densa, humida, et palustris atmosphaera pulverulentis, terreis substantiis, venenosis halitibus et gazosis effluviis sulphureis irritantibus, arsenicalibus etc. inquinata: affectiones catharrales, rheumaticae neglectae, haemoptysis, pleuritis, peripneumonia, variola, morbilli aliaque exhantemata retropulsa, neglecta, aut non bene iudicata, pectoris vulnera, contusiones, compressio respirationem laedens, organica cordis, magnorumque vasorum vitia.

De peculiari contagio, quo phthisis communicetur non constat.

XXI. Ab his (par. ant.) aliisque, si quae occurrunt, caussis, vario modo in organa respirationis agentibus variae inducuntur laesiones, ex quibus varii quoque pulmonum morbi oriuntur, quos phthisis haud raro consequitur.

Hinc diversae phthiseos species, *tuberculosae* nimirum, *ulcerosae* et *catharrales*.

XXII. Frequentissimam phthisis pulmonalis caussam sistunt tubercula (par. XVIII.), tumores nempe subrotundi, saepe formae irregularis, molis variae a lentis exiguitate ad ovi gallinacei magnitudinem sedentes in celluloso textu pulmonum aërea vasa nectente, bronchialibus glandulis: involucris constant tubercula nunc membranaceis, mollibus, nunc durioribus, cartilagineis continentibus materiem subrubram, obscuram, mox puriformem, aut purulentam, plus minus densam,

nunc pultaceam, steatomatosam, calcaream. Initio indolentia, mox ab inflammatione dolent tubercula, quae facile in abscessus abeunt, ex quorum ruptura pus in bronchiorum cavitatem effusum per expectorationem eiicitur.

Modo solitaria, frequenter racemosa, alia cum aliis communicantia occurrunt tubercula, quorum adeo ingens interdum est numerus ut parenchyma universum pulmonum teneant.

XXIII. Phthisis tuberculosae diagnosis eruitur ex tussi, initio sicca, permolesta, quae mucilaginosis, tonicis, paregoricis obsistit, quae ex levi excepti frigoris vi exasperatur, crebro revertitur et noctu vexat, ac catharri speciem praesegerit, ex brevi et crebra inspiratione, dyspnoea sub motu, ascensu scalarum, montium admodum aucta, quae facilior est pectore ad anteriora inclinato, ex frequentibus punctionibus hinc inde in thoracis lateribus, ex febre nec magna, nec vehementi, nec semper continua.

Quae quidem tamen si ulterius progrediantur, symptomatum et febris incrementum, et puris formationem demum sibi adsciscunt.

XXIV. Suppurata porro tubercula, non minus quam pulmonum ulcera ex praecedente haemoptysi, vel inflammationibus non bene iudicatis, aliisque de caussis exorta, phthisi pulmonali, quam *ulcerosam* vocant, ex praecedentibus propriis symptomatibus, maxime vero a puris excreatu dignoscendam, prophasim praebent.

XXV. Tuberculosae vero non secus ac ulcerosae phthisis salubrosae diagnosi instituendae plurimam quoque offundent lucem percussio parietum pectoris *immediata* Avenbrugger primum, Corvisart dein ac

Laennec studio ac opera; uti et illa *mediata* nuncupata *plessimetri* auxilio ex Piorry potissimum observationibus admodum illustrata, perinde ac auscultatio *immediata* nuda aure instituta, vel *mediata* stethoscopio peracta a nuperis etiam valde exculta, quorum ope peculiaris ac privus hisce in morbis *pulmonalis crepitus* sic dictus, quem *pneumonophoniam* vel *pulmonoloquiam* vocant, exauditur.

XXVI. Catharrum vel inflammationem membranae mucosae tracheam et bronchia investientis sequitur ipsius membranae non solum, sed et totius pulmonum parenchymatis irritativa conditio, ac morbosa sensibilitas, unde phthisis pulmonalis species frequenter producitur, quae *catharralis*, *mucosa*, *pituitosa* dicta est.

Rheumaticarum affectionum generatim sequela cui delicatuli, temperamento phlegmatico, et laxa solidorum compage praediti facilius patent, quae quidem etsi per longum tempus levioribus stipata symptomatibus decurrat, in eaque magis ac in caeteris phthisis varietatibus vigeat respirationis facilitas, et minor sit febris vehementia, haud tamen fieri potest, quin mucosae membranae proprietatibus vitalibus in progressu magis turbatis, tandem etiam exulceratio sequatur, et propterea insignem catharri plus minus viscidi, aut fluidi eiectionem puriformis humoris, aut puris genuini plus minus muco remixti subsequantur excreatus.

XXVII. Ex his (par. XXII. et seq.) deduci posse videtur nullum profecto esse dubium, quin phthisis detur absque manifesto saltem in omni stadio sinceri puris excreatu: at eodem tempore memoratas phthisis varietates simul coniunctas occurrere, earumque alteram alteri se adiungere, aut succedere. Quare, his

missis, quae de differentia inter pus et phthisicorum sputa rite determinanda tradita sunt ab Auctoribus, id sufficiat observatione duce concludere, stare utique illorum opinionem, qui contendunt frequentius a puris indole phthisicorum sputa esse aliena, verum id adeo solemne, ac constans non esse tum in omni phthiseos varietate, tum in omni stadio, ut saepius puriformis aut purulentae materiei excreationem in phthisicis locum habere, inficiemur.

XXVIII. Neque consistentiae, coloris et odoris diversitas in phthisicorum sputis a sincero pure, quod ex aperto ex. gr. phlegmonoso tumore promanat dubio solvendo par esse videtur. Sicuti enim diversa est inflammationum in suppurationem abeuntium natura, ita et varius suppurationis modus. Quis sane, ut advertit Bichat, non novit quantum intercedat discriminis inter pus erysipelatis et phlegmonis, huius inter ac illud quo scatent inflammationem passae membranae serosae, mucosae? An non etiam dubium subesse potest, quin purulenta etiam materies cum catharrali iam degenerascente mixta obscuram reddat diagnosim, et fortasse etiam aequivocam a captis in hanc rem experimentis inductionem? Hinc cur animadvertat Portalius practicum saepe melius de puris in sputis phthisicorum praesentia ex inspectione iudicare.

XXIX. Etsi interim non diffiteamur non despicienda esse experimenta a clarissimis Viris facta, quibus discrimina prolata sunt inter pus et catharralem substantiam tum relate ad physicas, tum relate ad chemicas proprietates: haud tamen alia ex parte dissimulandum est ita certas inde deduci posse inductiones, ut nullus ambiguitati locus supersit. Non absonum tamen erit

methodum referre, purulentam materiem a mucosa distinguendi a Carolo DARWIN propositam: solvatur, inquit, materiei per expectorationem eiectae pars in acido sulphurico, pars altera in lixivio caustico, addita utrique solutioni aqua pura: si praecipitatio obtinetur, haec purulentae materiei praesentiam indicat, huius absentiam, si nihil subsidet: acido itidem sulphurico diluto admixto pus aequabilem constituit mixturam, non mucus. Rursus pus specificam gravitatem possidet maiorem puriformi muco: illud aqua dilutum hanc aequabiliter turbat, et cito ad ima vasis sidit. Mucus aegre aqua diluitur, ac filamenta exhibet, quae diu in illa manent suspensa: ex HUNEFELD, BERZELIO tradente, mucus sincerus solutione aquosa chloruri ammonici fervefactus plane solvitur, ex adverso qui pure scatet cogitur absque solutione.

XXX. Mittimus traditum iamdudum fuisse pus iniectum in aquam hydroclorate sodae saturam, fundum petere, unde celerem phthisis perniciem iam arguebat HIPPOCRATES. Demum, referente SPRENGEL, ex PEARSONII et GRUITHUISEN consilio microscopii adiumento globulos in pure observare est ad instar globulorum sanguinis, magnitudine tamen minores, qui desunt in muco.

XXXI. Optandum sane foret ut accuratas analyses instituerent chemiae Magistri ad diagnosim perutiles.

XXXII. Praestat modo nonnulla de phthisis pulmonalis prognosi subdere, quum ex illis quae de eiusdem symptomatibus ac decursu attulimus sat coniici posse videatur quid de ipsius exitu sit ominandum; hinc ea summatim contrahemus, quae frequentiori observatione sunt confirmata.

XXXIII. Haemoptysi praesertim traumaticae aut plethoricae superveniens phthisis curatu facilior est, quam quae a tuberculis habet originem. Phthisis a suppuratione producta, quae inflammatorios pectoris morbos subsequitur, aliquam salutis spem portendit, si abscessus cito apertus laudabile pus fundat; contra lethalis est. Peioris est ominis phthisis gentilitia et quae cum mala pectoris conformatione sociatur.

XXXIV. Generatim, ut paucis pestringamus, sicuti sanationis spes affulget in phthisi *incipiente*, si datum est causarum occasionalium actionem in praedispositis elidere, vel si eius generis sint causae, quibus infringendis aut debellandis apposita in usum duci queunt auxilia; discriminis statim plena res est, si phthisis sit *confirmata.* Insignis virium prostratio, ac corporis emaciatio, diarrhoea, profusi sudores lethalia sunt signa, mortemque prae ſoris esse indicant accedentes rigores, vel sputorum, ut iam notavit Hippocrates, repentina suppressio.

XXXV. Ex hactenus allatis sat colligi potest multo faciliorem esse phthisis pulmonalis prophylaxim, quam therapeiam.

Quare si dispositio gentilitia aut acquisita ad phthisim habeatur, exacto vitae regimini indulgendum, fugiendae repentinae atmosphaerae mutationes, ac praesertim caloris alternae et frigoris vicissitudines, vitanda corporis exercitia praevalida, contentiones animi, vociferationes, cantus, veneris castra, eoque tendere debent vota, ut aptis alimentis, et congruo vitae genere eo in statu servetur corpus, ut vires conserventur, sic tamen, ut neque exuberent, neque deficiant. Tempe-

rata sit oportet atmosphaera in qua degunt aegrotantes; nimis enim frigida, aut calida nocet, et ad humidum potius quam ad siccum vergens praeseferendus incolatus: secretiones excretionesque omnes aequo in statu serventur, necessum est. Caeterum in diligenti examine coniunctorum in unoquoque individuo exorientium, atque in prudentia medentis situm est cognoscere utrum aliquid iuxta generales indicationum et contraindicationum leges occurrat, unde aut sanguinis copia minuenda, aut excretio aliqua cienda, aliave coërcenda sit, ut congruis alimentis magis reficere aegrum praestet, aut demulcentibus, temperantibus, alterantibus sic dictis remediis pugnandum, aut demum tonicis vires erigendae, ut nihil dicamus de auxiliis unicuique peculiari causae, aut vitio devincendo dicatis, ex quorum amotione aut imminutione morbi vis compescitur, ac infringitur.

XXXVI. Phthisim ab haemoptysi metuendam praecavere nitimur iis auxiliis, quae expostulare videtur huius indoles, ut perfecte curetur, eiusdemque reditus impediatur. Habenda interim semper ratio praedominantis diathesis plethoricae, phlogisticae, nervosae, atque id prae caeteris tenendum, non semel, aut iterum in remediorum usu, aptoque regimine insistendum esse, sed ad menses et ad annos, si id requiritur, haec protrahenda.

XXXVII. Phthisis quae a pleuritide, peripneumonia et affectionibus catharralibus sic dictis, non bene iudicatis, metuitur, non alia ratione praecavetur, quam remediis ipsorum morborum perfectae resolutioni promovendae accommodatis.

XXXVIII. Tuberculosam phthisim praecavere salebrosum est, tum quia haud ita facilis ab initio tuberculorum diagnosis, tum quia difficile est, ut medici auxilium vocetur antequam ipsa generalem induxerit perturbationem. Quum tamen tubercula perstare diutius queant, quin manifestam laesionem inferant ab eorumdem nova inflammatione seu *tuberculitide* oriundam; hinc cognita ipsorum praesentia per signa (par. XXVIII.) indicata, id nitendum, ut eorum inflammatio venae sectionibus, quoties aetas, temperamentum, praegressae causae, et pulsus qualitates exposcunt, tum diluentibus, temperantibus, resolventibus, praecaveatur.

XXXIX. Iamvero si symptomata incipientis phthisis (par. XL.) evidentia sint, nihil omnino cunctandum, ut ea in usum ducantur auxilia, quae morbi progressui, iuxta ipsius indolem, causas, et urgentiora adiuncta obsistere valeant. Quare perstantibus symptomatibus, quae phlogosim pulmonum arguant in temperante antiphlogistica methodo insistendum, non omissis, si febris, aegri adiuncta, dyspnoea, thoracis dolor, ardens calor, pulsuum tensio, durities exposcant, moderatis ac tempestivis sanguinis detractionibus etiam pro re nata iteratis, vel secta vena, vel hyrudinibus sedi applicitis, maxime si aut suppressae, aut iuxto parcius fluentis hemorrhoidalis, aut menstruae evacuationis accedat indicium. Cichoracea decocta, aut succi expressi, acidulatae potiones, serum lactis memoratis herbis, aut succis nuptum etiam indicantur, neque praetermittenda primarum viarum expiatio, lenium catharticorum ope ex manna, cassia, tamarindis, oleis olivarum, vel amygdalarum dulcium, fortioribus ablegatis: hinc ad demulcentia transeundum expectorantibus mixta, quo

spectant decocta altheae, arundinis, hordei, dactilorum, iuiubarum, liquiritiae, hederae terrestris, melle vel oxymelle simplici, aut apposito syrupo edulcante infracto inflammationis impetu, hecticae febris vi compescendae nonnulli magnis laudibus efferunt folia *digitalis purpureae*, *epiglottidis* etc. infusi aut pulveris forma, *phellandrii aquatici* semina, id genus alia.

Interim prout facilior est expectoratio, vel difficilior, nunc simplices linctus oleosi, mucilaginosi, addito syrupo de althea, aut pectorali, aut de erysimo, aut ipso oxymelle simplici: nunc ad oxymel scylliticum, vinum stibiatum, kermes minerale transeundum, ut facilius congesta evacuentur, ad quem scopum tendere etiam videtur ipecacuanha refractis dosibus administrata, polygala virginiana, horumque syrupi, neque aliquid demum obesse videtur, cauto paregoricorum usui ad vigilias compescendas, ac tussis nimium stimulum moderandum, locus concedatur.

XL. Quod si oppositus sit corporis status, vires langueant, cachexia, aut dyscrasia aliqua vexet, et pulmonum atonia, et laxitas praedominetur, patet aliam ineundam esse viam in curatione, praetereaque caute omnino illa esse admittenda auxilia, quae vires infringere valent, atque demulcentibus, expectorantibus, paregoricis, tonica, roborantia consocianda, non minus quam remedia quae a peculiaris vigentis dyscrasiae natura indicantur.

XLI. Tuberculorum promovendae resolutioni, praemissis opportunis venae sectionibus, commendantur solventia, saponacea, aperientia sic dicta remedia, iodii ac hydrargyri nonnulla praeparata, salia neutra, martialia, thermales sulphureae aquae, hydrochlorates Baritae,

et calcis, quibus addunt equitationem, vectionem in rheda, et pro opportunitate ac indicationum varietate balnea, tum aquae dulcis, tum mineralia, sulphurea potissimum.

Verum quum haec indiscriminatim in omni phthisis varietate, atque adiuncto non aptentur ex cognita eorumdem agendi ratione, quae magis indicentur, eruendum est. Hinc cur modo expressi succi cichorei, endiviae, graminis, saponariae, acetosae, cherefolii, urticae, nasturtii aquatici, similium, modo terra foliata tartari, tartarum solubile, scillitica praeparata, nunc sulphas ferri, flores salis ammoniaci martiales, minerales aquae ferrugineae, vel quae salia neutra soluta retinent: alias mercurius dulcis, ipsaeque unguenti mercurialis inunctiones commendatae legantur. Emetica ad opus quoque commendantur quae quidem quandoque utilia, non semper insontia, prudenter exhibenda. Utiliter in tuberculosa phthisi *sulphuris ioduretum* experti sumus, quod praesidium novis tentamentis subdatur, optamus.

XLII. His interim adiungenda illa remedia, quae a pulmonibus revellere, et stimulum ad externas allicere valent: quo spectant frictiones, rubefacientia, epispastica, cauteria, setacea, pustulantia, moxa idque genus factitia emunctoria.

XLIII. Atque haec quidem auxilia (par. XXXVIII. et seq.) non incipiente tantum, sed in confirmata etiam phthisi conducunt. Verumtamen quum eo pervenit morbus plura adhinc in usum ducere praestat subsidia, ut phthisis, si datur locus, curetur, vel ut lenientur pro viribus eiusdem symptomata. Porro vires sustinere, et erigere, puris aut puriformis cuiuscum-

que humoris congesti, vel degenerascentis evacuationem promovere, ulcus detergere, ac consolidare, symptomaticam febrem, et tussim moderari, evacuationes, quae vires exhauriunt, coërcere, praecipuae videntur esse indicationes, quibus satisfaciendum est. Haec autem assequi conamur congruis alimentis et remediis externis, internisque, tum supra universum corpus, tum maxime supra pulmones directe vel indirecte agentibus.

XLIV. A priscis etiam temporibus non solum ut congruum alimentum, sed etiam ut medicamentum in phthisi primatum obtinuit lac, nec profecto immerito, si ventriculus ferat, neque aliquid ipsius usum contraindicet. Sane non desiderantur exempla phthiseos sola diaeta lactea, caeteris ablegatis alimentis, ac remediis, feliciter sanatae, atque inter caeteros seipsum vidisse refert Wepferus ex lactis usu quasi novos homines factos fuisse.

XLV. Ad *muliebre* tenue et omnium dulcissimum (quod non semper pronum est in usum ducere) accedit lac *asininum* sero, vel saccharo abundans; huic analogum est *equinum*, densius omnibus *caprillum* est lac, quod magis dives est partium oleosarum, et casei, quodque stomachi maius robur requirit; huic succedaneum censent *ovillum*. Frequentius vero saporis gratia et facilitate ipsum comparandi usuvenit *vaccinum* lac, quod medium ferme sistit si cum caeteris comparetur, ac muliebri et asinino magis densum est, minus vero quam caprillum. Hinc fit ut iuxta peculiaria adiuncta et indicationes, non minus quam aegri tolerantiam alterum prae altero seligatur, vel ab uno ad alterum transitus fiat, hinc etiam modo, et generatim

sincerum, ac recens munctum, modo defloratum, aut aqua dilutum, aut ebutyratum usurpatur. Sicuti autem lac ipsum medicatum reddi potest, si animantibus detergentes, balsamicae, vulnerariae, consolidantes plantae pabulo praebeantur; ita contra numquam praetermittenda sunt incommoda, quae caeteroquin ex lactis usu possent induci a prava pabulorum qualitate non raro proficiscentia.

XLVI. Quandocumque lac difficile fertur a ventriculo, praestabit addere saccharum, aquas aromaticas, balsamicos syrupos, aut ignitum ferrum in ipso extinguere; sub eius etiam usu iuvabit interdum primas vias leniter everrere, si alvus adstricta, nec non absorbentibus remediis acido primarum viarum occurrere.

XLVII. A lactea diaeta quam plurima suboriri incommoda maxime in iis qui valde febriunt, alvique profluvio facile laborant sive ob peculiarem idyosincrasiam, sive ob adiuncta alia cordatorum clinicorum testantur observationes; hisce in adiunctis ab eo temperandum esse liquido patet. Quando vero contraindicetur lactis usus, et quando conveniat iamdudum innuit Hippocrates inquiens: « lac dare capite dolentibus malum: » malum etiam quibus hypocondria elevata sunt, mur» murantia, et siticulosis malum, et quibus deiectiones » biliosae, et qui in acutis sunt febribus. Convenit vero » tabidis, non admodum febricitantibus, et in febribus » longis, et languidis, nullo ex supra dictis signis prae» sente; vel praeter rationem extenuatis ». Caeterum aegri tolerantia, et observati effectus ex lactis administratione tutius in singulari quocumque casu medentem dirigunt.

XLVIII. Alibili ac mulcenti vi ceu lactis succedanea habentur iuscula pulli, ranarum, cancrorum fluviatilium, testudinum, cochlearum terrestrium, helicis pomatiae, horumque gelatinae: decocta ex hordeo, oriza, avena, pane, vel ex his parata pulmenta, uti et *faeculae iatrophae manihot*, *salep*, *sagou*, *arrow-root* seu *marantae indicae*, *solani tuberosi*, aut horum *cremores* aromaticis nonnullis substantiis et saccharo pro opportunitate additis: lac amygdalarum dulcium, emulsa varia: valde quoque celebrantur, nec immerito, pulmenta ex ferculo saxoniae, aquae, iusculo vel lacti incocta.

XLIX. Quamvis vulnerariis detergentibus balsamicis, et consolidantibus dictis remediis par tribui non queat actio supra pulmones ac in ulceribus externis contingit: non omnem tamen laudem illis denegandam esse testantur observationes: hinc veronicae, hyperico, hederae terrestri, gummi benzoin, balsamis naturalibus, therebintinae, aquae picis navalis, sulphuri, atque inde compositis quam plurimis pharmaceuticis praeparationibus, hasce substantias, eiusdemve generis recipientibus suus esse potest locus in phthisi pulmonali; ita tamen ut non ita facile admittantur, si metus est ne novae phlogosi locus fiat; quo quidem in casu non solum supersedendum est ab horum administratione, sed etiam iuvat non raro temperantia sic dicta in usum revocare, nec non aliquando, etsi summa omnino cum prudentia, ad moderatas sanguinis detractiones confugere.

L. Quando corticis peruviani usus in phthisi pulmonali sit admittendus, etsi generatim non ita facile statui possit, cognita tamen eiusdem tonica, adstringens, chemico-dynamica virtus eo ducit, ut proficuus cen-

seatur in laxitatis et atoniae statu. Hinc cur vel per se vel cum indicatis aliis remediis consociatus, cum in substantia, tum eiusdem decoctum aut tinctura aquosa lacti maxime, si nihil obstet, mixta, sicuti et chininae salia passim commendentur.

LI. Tamquam remedium consolidans, exsiccans usuvenit saepe aqua calcis secunda, lacti praesertim nupta aut decoctis mucilaginosis addita ab ℥j., aut altera, dein in progressu ad tres et ultra singulis diebus exhibita in temperamentis pituitosis, fibra laxa donatis, non valde extenuatis.

LII. Non infimam meretur laudem lichen islandicus cuius utilitatem in phthisi, plures testantur gravissimi auctores eo vel magis quod nihil umquam detrimenti ab eodem expectari posse credatur, neque etiam praesente aliquo phlogosis indicio, contraindicetur « mitigat » tussim (sunt verba Murray) respirationem liberiorem » reddit, lenit febrem, sputa corrigit, appetitum au- » get; digestionis praesidia restaurat, et vires totius » corporis erigit, sudorem et diarrhoeam colliquativam » coërcet, ac nutritiis particulis ita corpus replet, ut » loco maciei pinguem habitum inducat: qui non sa- » nantur mali vehementia, horum tamen conditionem » tolerabiliorem reddit et vitam protrahit ». Adhibetur autem lichen islandicus in decocto vel infuso, prima reiecta decoctionis aqua, a ʒij. ad ℥ſs. pro qualibet aquae libra vel in pulverem redactus ad drachmam unam aut alteram vel cum syrupo in bolum redigitur, aut cum iusculo, vel lacte sub pulmenti forma exhibetur, nec non obsoniis, bellariis, chocolatae additur, sicuti etiam ex eodem gelatina paratur ad ℥iij. aut jv. intra nychthemerum cochleatim exhibenda, perinde ac

syrupus et tabellae ab eodem lege artis, conficiuntur.

LIII. Leniendis maxime symptomatibus et vitae molestiis levandis aegregium subsidium suppeditant paregorica plura ceu lactucarium aut tridax, extracta hyosciami nigri, lactucae virosae, atropae belladonnae atque in maxima tussis vehementia ac contumacibus vigiliis ipsum opium; sane quantum valeat postremum hoc remedium ad tussim compescendam, sedandas vigilias, coërcendam diarrhoeam nemo est qui inficietur; nihil mirum itaque si theriaca, electuarium diascordii, pillulae de cynoglosso, de styrace aliaque bene multa composita pharmaca opium recipientia ab omnibus generatim clinicis commendentur atque cum in substantia tum eiusdem extractum aquosnm narcotina orbatum, tum eius tinctura, potissimum vero morphinae acetas vel syrupus ex hoc confectus demulcentibus, mucilaginosis, balsamicis, detergentibus mixta cum emolumento saepe adhibeantur in confirmata phthisi, etsi caute semper et a prudenti medico dirigenda sit huius remedii administratio: vexante vero alvi fluxu profuso anodyni clysteres longe praestant.

LIV. Supervacaneum ducimus alia bene multa cum simplicia tum composita remedia recensere in phthisis pulmonalis curatione passim commendata uti sunt: decocta ex radicibus chinae, smilacis asperae, salsaparillae, poligalae amarae ac virginianae, et stipitibus dulcamarae, iuscula viperina, alia, quibus utique iuxta varias indicationes, phthisis indolem, stadium, adiuncta locus esse potest; non ita tamen ut constans sit eorum actio. Quoad composita quam plurima remedia quorum nonnulla *antiphthisicorum* nomine insignita sunt, nullum est dubium quin suam etiam mereantur laudem. Huc

spectat pulvis contra phthisim sic dictus Haly-Abatis viribus demulcentibus, tussim sedantibus praeditus, nec non electuarium antiphthisicum Wincleri, ut detergens et consolidans; tum pillulae sic dictae balsamicae Mortoni: datur vero pulvis Haly-Abatis dosi ʒj. ad ℥ſs. recenter paratus, facile enim rancescit: electuarium Wincleri administratur dosi ʒij. ad ℥ſs. et ultra; pillulae vero balsamicae a ʒſs. ad ʒj. Horum remediorum compositionem ac praeparationem legere est in Lemery, Reuss, Trilleri, Jourdan dispensatoris, nec non Taurinensi nuperrime edita pharmacopea et alibi: Carbonem animalem potissimum celebrat Stevenson.

LV. Silentio non praeteribimus observationibus compertam tradi utilitatem acetatis plumbi in phthisi pulmonali, teste praesertim clariss. Huffeland: en formulam: ℞ acetat. plumb. (salis saturni) gr. j. aut ij. solv. in ℥iij. aut jv. decoct. hordei. add. mell. depurgat ℥j. capiat sing. man. cochlear. Post aliquot dies augenda sensim est dosis memorati salis. Plumbi phosphatem extracto hyosciamo nuptum laudat Hoffman: fatemur tamen vix aliquas utilitates ex horum remediorum usu nosmetipsos observasse, etsi pluries id simus experti.

LVI. Iamdudum commendata fuere inspiratio et suffimenta vaporum ex balsamicis, et vulnerariis substantiis prodeuntium, vario tamen exitu, sic ut testibus quam pluribus clinicis vix ulla utilitas observata fuerit in phthisi confirmata, nocuerit in incipie te; aliud porro se res habet de inspiratione aëriformium fluidorum postquam nova chemiae lux affulsit, et evictum fuit in phthisi cuius symptomata oxigenii excessum testari videntur, fluidorum inspirationem requiri, quae eiusdem oxigenii proportionem imminuunt, et contrarios proinde

effectus producere valeant; ex his patet quam absurde aëris vitalis inspiratio proposita saepe fuerit, non minus quam ratio cur aegrotantes melius se habere videantur in stabulis aërem ex animalium inspiratione inquinatum trahentes, quam in aëre libero; cur utilis extiterit vapor a potassae, vel calcis sulphureto, aut a gazosis sulphureis aquis erumpens, aut a carbonate calcareo ignis, vel acidi sulphurici ope extricatus, cur demum vapor e terra recens effossa manans inspiratu utilis etiam memoretur. Gaz hydrogenium, *simplex*, *carbonatum*, *sulphuratum*, *gaz acidum carbonicum*, *gaz azotum*, *protoxidum azoti*, *atropae belladonnae*, *stramonii* foliorum fumus tabaci instar, aquae cohobatae laurocerasi vapores per aptam fistulam inspirata ea sunt quae plurimam pollicita fuisse utilitatem referunt auctores. Verum de his paucis sufficiat concludere quem admodum de remedio periculoso conclusit summus Boherrhaavius *prudenter a prudenti medico*, *abstine si methodum nescis*: constat enim halitus quosvis aegre omnino internam bronchiorum superficiem exquisite sentientem perferre.

LVII. Pauca addemus de methodo curandae phthisis a Salvatori proposita; haec in eo consistit, ut ingenti motu et cursu profusus excitetur sudor, postea ad ignem sedeat aeger quo magis profluat sudor: linteis inde, vestibusque madidis abiectis, siccas et excalefactas induat, mox comedat quodcumque ipsi licuerit, ac si sanus esset, alimentis salsis, acribus, vino indulgeat, idque hac ratione repetat donec morbus sanatus sit. Hac metodo se ipsum aliosque a phthisi liberatos refert memoratus auctor. Utrum vero admittenda sit generatim haec metodus in curatione dubitare fas est, nisi velimus adstipulari effato Celsi inquientis. *Quos ratio non*

sanat, *temeritas adiuvat*. Profecto sicuti in phthisi quandoque mucosa (§ IX) fortasse non adeo ambigendum videtur quin huic methodo locus concedatur, si vires sinant, non idem dicendum in tuberculosa et ulcerosa. Quare quocumque in casu id semper tenendum, ut nihil contra aegrotantis vitam, et medicae scientiae existimationem peccetur; *satius est siquidem* (eodem docente Celso) *aegrum interire vi morbi*, *quam vi remedii*.

LVIII. Nuperrime magnis elatum laudibus a Gannal, Bourgeois, Cotterau *chlorum* aut *chlorureta varia calcis* potissimum vaporis gazosi aut aquosi forma per appositam ſistulam inspirata, quae dyspnoeam lenire, excreatum promovere, tussim, becticamque febrim mulcere perhibitum est. Longe tamen abest ut huiusce praesidii virtus aliquam sibi mereatur fidem et accuratis fuerit tentaminibus sancita; immo ipso non semper insonti cautissime utendum vel ipso in conclamato morbo a rationali therapeuta, remur.

LIX. Idem propemodum affirmandum de tantopere celebrata antiphlogistica *acidi hydro-cyanici* vi quod phthiseos ferme absolutorium praedicatum fuit a Magendie primum, Brera, Manzoni, et nuperrime a Falconetti et Grenville liquida vel pillularum forma propinatum quod non paregoricae indicationi dumtaxat, sed et therapeuticae adimplendae par esse hoc in contumaci morbo tradidere, refragantibus tamen Coullon, Hayward, Macleod, aliisque qui sonticam acidi hydrocyanici actionem reformidantes pertussi leniendae quidem, parum autem phthisicis prodesse iteratis tentamentis experti sunt.

LX. Quotiescumque autem ad extremas angustias aeger pervenit (§. XIII.) nihil tunc restat, nisi vires quantum fieri potest erigere, symptomatum vehementiae fraenum imponere et quod vitae superest miserrimae servare, remedia cardiaca in usum ducendo, vigilias nimias, ac diarrhoeas compescendo anodynis, opiatis, expectorationem suppressam aptis auxiliis revocando.

LXI. Si quando vero aegroti ex hoc morbo convalescunt quanta cum sedulitate et patientia apto regimini indulgere debeant, eaque omnia vitare quae directe aut indirecte supra pulmones non tantum, sed super universum systema agentia recidivae occasionem praebere valent, non est cur dicamus, neque unquam satis a medico id ipsis inculcabitur. Non rari enim sunt casus ex quibus evictum fuit, non nullos iam prima vice ab orci faucibus ereptos, mox neque regimini indulgentes neque medentis monitis obsequentes recidivam passos; ineluctabili fato cessisse.

DE HAEMATEMESI

SYMPTOMATA, CAUSSAE, DIVISIONES, PROGNOSIS.

I. Sanguinis ex ventriculo per vomitum reiectio *haematemesis*, *gastrorrhagia* audit. Sanguis autem raro fluidus, ac floridus, sed generatim nigricans, coactus, grumosus, frequenter cum alimentis, horumque reliquiis remixtus vomitu expellitur, eodemque tempore simul per alvum egeritur.

II. Nisi a violenta caussa ortum ducat haematemesis vix contingit, ut repente exoriatur, sed generatim consuevit a nonnullis signis eminus etiam praecedi. Huc spectant praecordiorum anxietas, oppressio: molestia, ac dolor ad epigastrium cum ardoris sensu, hypochondriorum inflatio, spasticae non in hac tantum regione, sed et in toto abdomine constrictiones, dolores colici, nausea, ciborum nunc aversatio, nunc morbosus appetitus, vomituritiones, vomitus acidi, pituitosi, amari, salivatio, singultus, flatus, borborygmi: his accedunt vertigo, visus obnubilatio, animi deliquia, tristitia, somnus irrequietus, extremitatum inferiorum frigus, crampus, sudores frigidi: motus convulsivi: pulsus plerumque exiguus, et contractus deprehenditur: tarda-

generatim est alvus : urina aquosa , cruda mingi consuevit.

III. Atque haec quidem omnia symptomata, quae saepius ab assumpto alimento , vel potu , vel digestionis tempore recurrunt , aut exacerbantur , ita facienda semper sunt, ne, sicuti pro ventriculi debilitate , inertia, aut saburrae praesentia non recte attendentibus possunt imponere , cardiacis , stimulantibus , multoque magis emeticis, aut fortioribus purgantibus praescriptis , noceatur. Hinc cur, nisi iam alias sanguinis vomitus apparuerit , prodroma memorata signa non levem in futurae haematemesis diagnosi assequenda faciant ambiguitatem ; minorem profecto , si menstrui , aut haemorrhoidalis fluxus feriationem una concurrere diligenter inquirenti constet.

IV. Iam vero , hisce praegressis molestiis, quae non semper febrem comitem habent , varia quantitate , sub corporis praesertim ad anteriora inclinatione sanguis eiicitur, repetitis plerumque intervallis, tanta interdum copia , quae ex inanitione , languorem , animi defectionem ciere valeat , et in extremum nonnumquam vitae discrimen aegrotantem adducere. Tanto saepe etiam cum impetu sanguis eructatur , ut in narium cavitatem propulsus ex anterioribus harum ostiis expellatur , vel in glottidis aperturam penetrans , vehementibus excitatis tussis conatibus, per os, et nares simul evacuetur. Quare non minus ad recensita signa attendere praestat, quam ad illa , quae iam attulimus (de haemoptysi art. I.) ; ut ab epistaxi , et haemoptysi distinguatur haematemesis.

V. Semel excitatus cruentus vomitus vel levibus de caussis facile renovari patitur , novis praeeuntibus an-

xietatis, oppressionis, angoris molestiis, praeterquamquod ipsum determinatis nonnunquam recurrisse periodis, et menstrui, aut haemorrhoidalis fluxus vices gessisse haud adeo raris evictum est observationibus.

VI. Quod si non omnis in ventriculi cavitate effusus sanguis vomitu expellatur, tunc vel ibidem retentus concrementa conficit, quae pro magnitudinis ratione maiorem, minoremve gignunt molestiam, vel in intestina propulsa, torminibus, borborygmis, ventris inflationibus, doloribus, ac cruento alvi profluvio praebent originem. Quot vero, et qui possint inde expectari effectus, ex quantitate non minus collecti, ac stagnantis sanguinis, quam ex facili eiusdem, quam subire potest, degeneratione haud difficile est conceptu, sicuti etiam ex quantitate reiecti sanguinis, ex frequentiori recursu, ac superstitibus laesionibus, ac molestiis, graves inde morbi sequelas ominari fas est, et multiplices in totius oeconomiae animalis functionibus turbas, chronicarumque affectionum cohortem expectare, sicuti de haemorrhagiarum successionibus generatim animadvertimus.

VII. Rara ante pubertatem haematemesis, frequentius foeminas adgreditur, quam viros, atque hos inter haemorrhoidarii praesertim eidem subiacere deprehenduntur. Hypocondriaci, studiis profundis dediti, sedentariam, ac desidem agentes vitam, diuturnis viscerum imi ventris infarctibus conflictati, moerore confecti, spirituosis liquoribus indulgentes faciliorem ad haematemesim praedispositionem contrahunt, non secus ac illi, quibus adaucta ventriculi sensibilitas hoc viscus ad stimulorum actionem facit proclivius.

VIII. Inter frequentiores haematemesis caussas occa-

sionales memorantur quae rodendo, pungendo, secando, lacerando agunt, ut sunt contusiones, ictus, vulnera, ulcera, venena nonnulla; haud raro vermes, deglutita ossicula, aciculae, hirudines ipsi prophasim praebent. Huc etiam referuntur nisus a vomitu, partu, motu vehementi, concussione: vasorum aneurysmata, varices: suppressae evacuationes sanguineae, uteri praesertim, et haemorrhoidum: obices oppositi sanguinis circuitui per ventriculi vasa ex compressione, constrictione, spasmo; viscerum imi ventris, pancreatis, hepatis, ac lienis praesertim emphraxi, tum ex illis verbo omnibus, quae sanguinis motum per venam portarum remorari valent.

IX. Prout autem vasorum ventriculi proprietates vitales ex memoratarum caussarum actione excitantur, vel infirmantur, activa hinc, vel passiva haematemesis exurgit. Caeterum ut alias haemorrhagias, ita et haematemesim in *primariam*, et *secundariam*, *criticam*, et *symptomaticam*, *habitualem*, et *accidentalem*, *idiopathicam*, et *sympathicam*, *adventitiam*, non secus ac *haereditaria* praedispositione fotam, *acutam*, vel *chronicam*, etc. partiri consueverunt Pathologi. Etsi vero non desint, qui symptomaticam semper velint haematemesim; haud tamen inficiandum, ut advertit Cullenius, plethoricum statum consociari posse caussis sanguinis fluxum ad ventriculum impellentibus, unde *primaria*, ac *essentialis* producatur affectio.

X. Quibus ex caussis, quibusque in adiunctis arteriosa potius, quam venosa contingat haematemesis, haud facile dictu, neque omnibus arridet illorum opinio, qui arteriosam ex caussis lieni, et hepati insidentibus, alteram ex aliis oriri tuentur.

XI. Illud interim facile conceptu videtur, in sufflaminato sanguinis circuitu per lienis vasa, hisque nimis turgentibus, per vasa brevia facilius sanguinem maiori quantitate, ac impetu ad ventriculum propelli, in quem dilatatis, aut ruptis vasis sanguis effundatur, at non minus lienis, quam pancreatis, ac hepatis infarctus, aliaeque caussae liberum sanguinis iter per venam portarum intercipientes, aut retardantes eiusdem per venas ventriculi reditum remorantes haematemesi producendae sunt pares. Neque est cur ambigamus, ventriculi, tum arterias, tum venas ita subiici multiplici morbosarum caussarum actioni, ut modo ex alterutris, modo ex utrisque sanguis in eiusdem cavitatem effusus hinc vomitu reiiciatur.

XII. Cadavera hominum ab haematemesi denatorum rimantibus se se obtulerunt ventriculus varia copia sanguinem effusum continens, nunc tumore quasi canceroso defoedatus, nunc exulceratus, modo maculis gangraenosis conspersus: eiusdem ostium inferius infarctum, et quasi obstructum: vasa ventriculi turgida atrum sanguinem fundentia: aneurysmata, varices: lien praegrandis, ac tumidus, scirrhosus, corruptus: pancreas, hepar infarcta, indurata, praeter alia, quae non in abdomine tantum, sed et in pectore etiam animadversa vitia passim referuntur ab Auctoribus.

XIII. Quoad haematemesis prognosim pertinet, etsi generatim haud ita pertimescenda sit quae a menstrui, aut haemorrhoidalis fluxus feriatione sobolescit; nihilo tamen minus si usque, et usque perseveret, et modum excedat, haec pariter ut et illa, quae ex aliis caussis proficiscitur, vires pessumdare, et in exinani-

tionem, ac multigenas alias morbosas affectiones coniicere valet aegrotantem. Hinc cur Hippocrates dixerit: *a sanguinis vomitu tabes, et puris purgatio sursum.*

XIV. Periculosa magis est, si febris superveniat, notante iam ipso Hippocrate dum ait: *vomitus sanguinis cum febre malum*: item si ab organico quodam vitio foveatur: vomendi conatus violenti, et repetiti, summa virium prostratio: extremitatum inferiorum paralysis, extremorum frigus, convulsiones, animi deliquia non interrupta, malum portendunt omen. *Qui sanguinem evomunt* (ait coacarum Auctor) *cum febre multa, dolorem ad mammam, thoracem, et dorsum: quibus inquam haec insunt omnia, ii brevi moriuntur: quibus autem non omnia, neque intense adsunt, tardius. Ad summum autem diebus quatuordecim inflammationem concipiunt.* Malum quoque si sanguis niger, et graveolens profundatur. Quantum vero bene ominari fas est, si, reiecto sanguine, dolor, oppressio, anxietas, extremorum frigus, caeteraque leniantur, aut disppareant incommoda, tantumdem metuendum est, si perseverent, aut intendantur post sanguinis vomitum praecedentia, aut concomitantia morbosa pathemata; nova enim tunc, eaque saepe copiosior pertimescenda est sanguinis eruptio. Bonum est si suppressi uterini, ac haemorrhoidales fluxus renoventur, ut iam advertit Hippocrates, inquiens: *mulieri sanguinem evomenti, fluentibus menstruis solutio fit.*

XV. Ex effuso autem in ventriculo, aut intestinis stagnante, aut corrupto sanguine maiora fortasse, quam ex sola ipsius iactura metuenda sunt mala: siquidem dolorificae ventris inflationes, dolores colici, diarrhoea, dysenterici fluxus, inflammationes, suppura-

tiones, et brevi etiam tempore gangraenam inde inductam memorant Observatores.

CURATIO. PROPHYLAXIS.

XVI. In haematemesis curatione eo tendere debent indicationes, ut infringantur, ac removeantur causae, quibus fovetur, activa haemorrhagia moderetur, non tamen praepostere supprimatur, modum excedens coërceatur: effusus, concretus, corruptus sanguis appositis auxiliis per alvum evacuetur, ac demum superstites effectus emendentur, arceantur.

XVII. In primis autem quandocumque datum est per praecedentium signorum praesentiam, maxime vero si iam alias cruentus contingerit vomitus, aut consueti fluxus substiterint, de futura haematemesi arguere, enixe, ac nulla facta mora curandum est, ut sanguinis, si fieri potest, in ventriculum effusio praecaveatur. Tunc ergo si temperamentum sanguineum, vigens aetas, corporis robor, causarum indoles adauctam sanguinis quantitatem, aut eius impetum ad ventriculum manifeste ostendant, venae sectione, hirudinum sedi, aut pudendis applicatione, sedula stimulantium devitatione, calentibus pediluviis, vaporibus sedi, aut pudendis exceptis, laxata clysteribus alvo, severa diaeta, ac potubus temperantibus parva quantitate haustis, subfrigidis, haematemesim saepe praecavere datum est.

XVIII. Quod si contraria adiuncta, ac caussarum indoles debilitantia recusent, caute incedendum esse consequitur in venae sectionibus, ipsarumque hirudinum applicationem, quando indicata videtur, prudenti di-

rigendam esse manu. Quapropter hisce in casibus proderit, moderate calentibus pediluviis susceptis, aquae vaporibus, extremitatum inferiorum frictionibus, et calentibus, ac aromaticis fotubus pugnare, clysteribus pro re nata non omissis, intereadum analeptico, prout fert ventriculus, victu, ac tonicorum administratione curandum, ut concidentes erigantur vires deperditusque vasorum tonus restituatur. Etsi tamen cavendum semper ne in iam nimia ventriculi sensibilitate ab actione stimulantium detrimentum feratur. Hinc cur infusum corticis peruviani, elixir acidum Halleri, ferrugineas minerales aquas cum emulsione arabica mixta iure commendet Frank, vel haec, aut similia paullo magis activa, quo minus offendant, per anum iniicienda. Cucurbitularum quoque coxis, dorso, ipsique regioni epigastricae applicatio miros saepe praestitit effectus ad fuganda pleraque symptomata, ex quorum praesentia iam imminentem haematemesim suspicari licebat.

XIX. Quod si ex visceris imi ventris obstructionibus, scorbuto, aliisve corpori inhaerentibus morbosis affectionibus pertimescatur haematemesis, remedia hisce affectibus tollendis accommodata ea sunt, quibus praecaveri eadem potest, illa pariter semper adhibita cautione, ne ex praescriptorum actione ventriculus laedatur, tum ne unquam fugiat consideratio, utrum sanguinis congestio prudentem fortasse depletionem exposcat.

XX. Quandocumque autem praesenti iam haematemesi occurrendum est, videndum statim qua ex causa fuerit enata, cuius varietas maximam exposcit in auxiliorum selectu sollicitudinem. Quare si constiterit, ex substantiis pungentibus, erodentibus, acribus in-

gestis eamdem fuisse productam, mucilaginosa, oleosa, emulsiones cum gummi arabico, lac in usum vocanda. Propria exposcit antidota, quae ab ingesto veneno sobolescit, vel ea remedia, quae ipsum obvolvant, eiusdemque actionem obtundant; anthelminticis locus fit, si vermes in causa censeantur haemorrhagiae: si ab hirudine deglutita, salis marini in aqua, et aceto solutio conducit. Caeterum nunquam non est attendendum ad laesiones ipsi ventriculo inductas sic, ut pro indicationis varietate suus queat esse locus mulcentibus, consolidantibus, vulnerariis: nec raro ingens, quae continuo eiicitur sanguinis quantitas, praecipitem exhibet occasionem ad adstringentia confugiendi. Mittimus casus in quibus ab externis vulneribus inductus sanguinis vomitus Chirurgorum exposcit auxilium, ut et illos, in quibus compressio, constrictio, cingula stricta pro causa accusantur, quae statim solvenda esse perspicuum est. Non raro etiam contingit, ut indicatio se se offerat antiemetica sic dicta potione Riverii, vel nonnunquam antispasmodicis, anodynis pro opportunitate praescriptis remediis, haematemesim compescendi quam ingentes vomitus, aut vomendi conatus excitaverunt, ac fovent.

XXI. Quando ad ingestas substantias, quae in ventriculo adhuc contentae sanguinei vomitus fomitem constituere videntur, exturbandas, et eiiciendas, emeticorum usus absque discrimine est admittendus, non ita facile est definire. Ex horum perspecto agendi modo composito cum urgentibus, quae evidenter patere possunt, indicationibus sagacis est, et prudentis Clinici decernere cui consilio satius sit in ancipiti casu absque temeritatis nota adhaerere.

XXII. Interim si inquilinis a causis haematemesis fuerit enata, videndum prorsus, utrum activa sit, an passiva, ut sic opportuna in usum trahantur auxilia, ratione semper habita ventriculi ipsius tolerantiae, ex cuius morbosa sensibilitate saepe fit, ut pleraque ore assumpta vomitum promoveant, idque maxime curandum, ut summa concilietur corporis, animique quies, horizontali potius servato decubitu. Quapropter si pulsuum durities, ac plenitudo, doloris in ventriculo acuties, febris praesentia, plethorica constitutio, praegressae causae, caetera activum esse sanguinis vomitum testentur, ad venae sectionem, prout opus, et iuxta effectus inde observatos, iteratam praestabit confugere vel ano, vel pudendis applicitis hirudinibus, rigida servata diaeta, ac sub frigido parva copia potu hausto ex aqua pura, vel ex emulsione cum gummi arabico, aut ex lacte amygdalarum dulcium pro libitu, et tolerantia aegrotantis. Sunt qui nitratas potiones reformident ob stimulum, quem ab his ventriculo inferri opinentur. Verum ab hoc metu immunem reddi nitrum non iniure observant alii, si parvis dosibus memoratis emulsionibus, aut lacte amygdalarum dulcium solutum exhibeatur. Hac methodo in usum ducta, et simul servata per clysterum laxantium iniectionem alvi libertate, necnon tepentium, ni aliquid vetet, pediluviorum sociata praescriptione, activam compescere haematemesim haud difficile datum est; quin immo quando moderatos intra limites sanguinis vomitus continetur, saepe sola diaeta, atque alimentis liquidis, et tam parva dosi, ac partitis vicibus ingestis, ut vires servari possint, sponte cedit: vacuo siquidem ventriculo, ut iam animadvertit DEGORTER, ita vasa contrahuntur, ut san-

guinis fluxus sistatur, ac vasorum ostia facile consolidentur.

XXIII. Quod si passivus fuerit sanguinis vomitus, vel qui ab adaucto vasorum robore primitus pendere videbatur, ex ingenti sanguinis copia vires ita pessumdet, ut proximum impendeat discrimen; tunc omne consilium eo converti debet, ut coërceatur. Praestat itaque ad frigidas potiones confugere non minus, quam similes affusiones, aut embrocationes epigastrio admovere, et identidem renovare, inferiores extremitates eodem tempore tepida fovendo; intus vero acescentes succi limoniorum, granatorum, acetum, omphacium, acidum sulphuricum ad gratam aciditatem frigidae additum, serum lactis aluminosum, vel aluminis solutio, infusum corticis peruviani, ratanhiae aquosum, elixir acidum Halleri, aqua styptica pro re nata, et iuxta haemorrhagiae vehementiam usuveniunt, non omissis in urgenti casu artuum ligaturis, ac stimulantibus externis revellendi scopo admissis.

XXIV. Interim iuxta varias indicationes inspiciendum est quando tonicorum cum adstringentibus proprie dictis, necnon cum antispasmodicis, et anodynis connubium locum habere debeat, sicuti ex illis, quae iam (de haemorrh. gen. art. III) animadvertimus, pronum est eruere. Curantis siquidem sollicitudo in eo maxime versari debet, ut caussarum non minus, ac effectuum ex sanguinis deperditione exurgentium, quam morbosorum complexuum nunquam fugiat perscrutatio in remediorum congruo selectu, administratione, ac simultaneo plurium connubio, quibus in indicationibus tenendis non parum confert iuvantium, ac laedentium observatio in singulari quocumque casu plurimi facienda. Neque

praetermittenda est alvi consideratio: hanc enim prodest clysteribus laxam servare, nec raro sollicitare.

XXV. Iuverit quoque animadvertere, cum cautione, nec nisi per gradus mitioribus primum exploratis, incedendum esse in prescriptione cardiacorum, et stimulantium, quandocumque ob ingentem sanguinis iacturam lypothimiae prehendunt ob metum novi ex horum actione excitati profluvii: extremitates calidis, et aromaticis tunc fovendas proponit Frank, qui etiam propria observatione suffultus monet *quanti intersit cavere, ne cruor ipse oris, fauciumque in cavo polyposam in massam concrescens viam aëri ad pulmones lethali cum effectu praecludat*, rhombo scilicet, qui fauces obturabat educto, ab orci faucibus ita liberatum refert aegrotantem.

XXVI. Cessato sanguinis vomitu, nihilo tamen minus praestat per aliquod tempus, summa servata quiete, in apti regiminis, remediorumque illorum usu insistere, quae haematemesis indoles indicabit, et observatio proficua ostendit: tum, continuato subacescentium potuum usu, illa, cum quoad qualitatem, tum quoad copiam concedere alimenta, quibus languentes reficiantur vires, non gravetur, aut nimio stimulo afficiatur ventriculus. Iuscula primum saturatoria, hisque incocta farinacea: gelatinae, atque, si nihil obstet, lac huc faciunt. Rebus bene perstantibus sensim ad alia transeundum, vitatis semper illis, quae nimio possunt laedere stimulo, aut quocumque modo visceribus digestionis officere. Etsi tamen in alimentorum administratione numquam sit recedendum a peculiaris consuetudinis, aetatis, ac temperamenti consideratione, quibus victus generis varietas generatim est accommodanda.

XXVII. Dum autem subacidorum, diluentium potionum

usu restitans in ventriculo, ac intestinis concretus sanguis solvitur per repetitam clysterum laxantium iniectionem exitus haud difficile ipsi parabitur: hisce non sufficientibus, ad lenia alviduca gradus faciendus, ut ad serum lactis tamarindatum, ad solutionem cassiae, mannae, electuarium Dominae Tronchin (ex anatica dosi pulpae cassiae, mannae electae, et olei amygdalarum dulcium compositum) ab unc. ss. ad j, acribus, drasticis vitatis; neque aliquid obesse videtur, quin sub ventriculi, et intestinorum laxitate, ac inertia, nec non praesertim torpente bilis secretione, aliquot rhabarbari granis, aut huius tincturae aquosae locus concedatur: quod si sermo sit de enematibus, maiori cum fiducia, purgantia, quae magis sollicitant, hisce addi possunt.

XXVIII. Prout a superato profluvio recedit aegrotans, tunc ea sedulo vitanda sunt, quae non minus in alimentorum, potuumque selectu, quam in usu rerum non naturalium omnium, perpessi morbi indoles noxia futura arguerit. Attendendum vero maxime ad effectus, ac molestias superstites, quibus tollendis, aut compescendis causarum peculiarium cognitio, aut labis corpori inhaerentis natura viam parat expeditiorem, ut sic, quum aptis auxiliis vinci adhuc patiuntur, curativae, cum vero artis auxiliis omnino refractariae evadere confirmat experientia, palliativae methodo pateat aditus.

XXIX. Itaque, ut paucis concludamus, praeterquamquod huc revocanda sunt illa, quae de haematemesi praecavenda innuimus, sicuti, quando ex suppressa alia sanguinea minus ominosa evacuatione exoritur vomitus cruentus, illius renovatio in votis esse debet, ita in viscerum infarctubus, obstructionibus reserandis, caeterisque tollendis cognitis caussis enixe allaborandum est;

qua ratione non minus, quam mutato, prout opus, vitae regimine et gravem hunc morbum sufflaminare, et praedispositionem ad ipsum tractu temporis etiam avertere, non raro felici omine contingit.

XXX. Demum vix vacat memorare, haematemesis secundariae, ac symptomaticae medelam a morbi, cui succedit, aut a quo sobolescit, curatione auspicandam esse, nisi maius ab illa imminens vitae periculum, urgentiorem mereatur considerationem. Utrum vero salutaris, et criticus detur sanguinis vomitus nonnisi ex cessantibus ab ipso molestiis, et morbi in quo supervenit levamine, coniicere licebit, ut, quantum datum est, in indicationibus eruendis caute, et cum prudentia incedatur. Etsi enim salutarem pronunciaverit Hippocrates sanguinis vomitum sine febre, malum vero cum febre, hanc tamen Divini Senis sententiam observationibus, quorum fidei detrahere certe puderet, sancitam, non absolute, nec generatim, sed relative, et cum quibusdam exceptionibus admittendam esse opinatur cum aliis Degorter. Sane post sanguinis vomitum a gravibus molestiis, ac symptomatibus vindicatos aegrotantes referunt observatores. Hinc cur non raro etiam cum periculo coërcitus sanguinis vomitus memoretur.

DE MELAENA SEU HAEMATEMESI MELAENODE.

XXXI. Non solum eiectae materiei, sed et graviorum symptomatum, chronica indole et discriminis ratione ab haemathemesi secernitur illa affectio, quae *Melaena* vel *morbus niger* apud auctores audit, quamque *Melaenorrhagiam* vocat Swediaur, nuperrime *haematemesim melaenodem* nuncupavit Speranza.

XXXII. Melaenae porro nomine insignitur copiosa per vomitum, aut per alvum, aut per utramque simul viam evacuatio atrae, luridae, sanguinolentae, materiei, vel in grumos coactae vel liquidae picis vel vini faecis formam habentis, nunc acris, acidae, nunc pessime olentis.

XXXIII. Cum morbo nigro Hippocratis melaenam convenire probant eiusdem morbum nigrum describentis verba. » Nigrum (inquit) vomit veluti faecem quan» doque cruentum , quandoque veluti atramentum, » quandoque velut vinum secundarium, quandoque acre » velut acetum; quandoque salivam, et pituitam, quan» doque bilem cum virore pallidam, et ubi quidem » nigrum cruentum vomuerit cadaveris foetorem refert, » et fauces, et os a vomitu aduruntur, et dentes stu» pescunt. »

XXXIV. Plerisque haematemesi communibus pathematibus praecedi, ac concomitari consuevit melaena intensioribus tamen: huc spectant anxietas, nausea epigastris dolor, et ardor: lypothymiae, ventris accedunt inflatio, tormina, borborygmi, non tantum epigastricam, sed et reliquas abdominis regiones obsidentes, dolores lumborum: languidus, luridus, pallidus se praebet faciei adspectus, oculorum acies imminuta, tumidae palpebrae, pulsus contracti, minimi, cardialgiae frequentes recursant.

XXXV. Ingravescente morbo, anxietate cum doloribus, vomituritionibus fatigantur aegri, vertigines praehendunt, animo frequenter linquunt: vomunt demum memoratam materiem ac recurrentibus per intervalla vomituritionibus et simul eiusdem naturae egestionibus per alvum sincope, frigidis sudoribus, spasmis, extremitatum frigore plectuntur, pulsibus parvis, formicantibus factis.

XXXVI. Quod si naturae viribus, aut artis auxilio extremum fatum effugiat, pacatis turbis, et sensim elevato arteriarum pulsu contingit, ut placido correptus aeger somno melius se habeat dum expergiscitur, nec raro a praecedentibus incommodis et molestiis levatus videatur. Caetero irreparabili facta ex profluvii continuatione, ac frequenti recursu, virium iactura (ut mittamus damna, et discrimine plenos effectus, qui a teterrima rodente caustica corrupta materie inferuntur) plus minus celerem post se trahit hic morbus interitum, gravibus semper, ac terrificis symptomatibus stipatus quum in longum protrahitur, ni medicina succurrat.

XXXVII. Ex consimilibus pariter caussis ac haemathemesis, cuius sequela interdum, est originem habere potest melaena: protopathica quandoque sedem modo in ventriculo ac intestinis habet: modo deuteropathica morbosam affectionem caeterorum abdominis viscerum, lienis praesertim ac hepatis pro causa agnoscit, sicuti necroscopia revelavit. Rursus symptomatica apparet melaena in scorbuto, in febribus mali moris dictis, in exanthematibus malignis, arthritide, nec non ventriculi, intestinorum, aliorumque viscerum inflammationes subsequitur.

XXXVIII. Anatomico-Pathologicae melaena denatorum inquisitiones obtulere ventriculum contractum, durum, vel praetermodum mollem, intestina nigrescentia, sphacelo tacta, mesenterii vasa turgentia, hepar schirrosum, infarctum, vasa brevia rupta, varicosa: lien cartilagineum, alias flaccidum atro sanguine refertum: pancreas volumine auctum: mucosam ventriculi

et intestinorum membranam atro sanguine et gangraenosis notatam maculis, caeliacam, splenicam venam et portarum dilatata, hepar, lien atrophica: epiploon schirrosum aut id ipsum ventriculum foramine pertusum.

XXXIX. A sanguine vero in ventriculi, ac intestinorum cavo non secus ac in vasis infarctis restitante, vel in viscerum cellulosa effuso, degenere facto, corrupto, accedente bilis ac perversorum inquilinorum succorum cum una evoluto prae morboso processu acido hydro-chlorico, mixtione suppeditari profluentem materiem post Lyons et Hope tentamina pronum est inferre, quin ad veterum bilem atram confugiamus; quod inquirens iam Clar. Tissot morbum nigrum a semetipso observatum describens, utrum nempe reiecta materies atra bilis sit, iuxta Hippocratem concludit hisce verbis: « A summo parente degenerare taedet; non « sinit tamen veritas affirmative respondere. Ex his autem palam fit melaenae morbosum processum in organico-dynamica vasorum ventriculi perturbatione atque eiusdem potissimum et viscerum chilopoieticorum infarctu fore collocandum.

XL. Ex hucusque traditis, non minus quam ex illis, quae de haematemesis prognosi attulimus, pronum est eruere quodnam melaenae praesagium possit institui habita ratione maioris in hac discriminis; secus consideratio levaminis, aut molestiae, quae morbum subsequitur ad futurum praenoscendum exitum non parum conducit.

Interim sicuti haud ita ominosus est morbus a caussis enatus, quibus devincendis ars opportuna sufficit auxilia, contrarium pertimescendum esse consequitur

si ex immedicabili fovetur vitio, neque aliquid emolumenti ab exoletis naturae viribus queat expectari: melaenam plerumque lethalem esse pronunciavit Hippocrates.

XLI. Ex iisdem praeter propter fontibus, ac de haematemesi dictum est, hauriendae sunt indicationes in curatione melaenae: effusum nimirum, ac concretum sanguinem diluere, huius corruptionem impedire: laenibus eccoproticis, non minus quam laxantibus clysteribus eumdem evacuare perturbatam ventriculi actionem emendare praecipui sunt cardines, in quibus medentis actio versari debet, iuxta caussarum, et peculiarium adiunctorum varietatem.

XLII. Quum raro activa sit haematemesis, consequitur, nisi peculiaria, ac urgentia ab aetate temperamento, praegressis caussis, pulsus robore, caeteris eruenda adiuncta manifeste sanguinem angioidesim ostendant parcendum generatim esse venae sectionibus; his tamen frequentius succedaneas esse posse hyrudines, ano, aut pudendis admotas palam fit, ubi a consuetis haemorrhoidum, aut catameniorum fluxibus restitantibus morbum enatum fuisse ac foveri constiterit: ab his quippe per portarum venam circuitus quoque expeditur.

XLIII. Hoc etiam consilio laudantur lenia cathartica aquoso vehiculo diluta ceu cassia, manna, tamarindi, eccoprotica oleosa ex quibus molestus ventriculo ac intestinis effusae materiei subducitur stimulus, ac irritatio temperatur, omnibus vero drasticis sedulo ablegatis.

XLIV. Hinc praeter absolutam quietem, diaeta tenuis, potiones ex emulsione arabica, lacte amygdala-

rum dulcium, ex orizae, hordei, avenae decoctis pro opportunitate acidulatis usuveniunt: nec minus conducere existimatur lac aqua dilutum, vel ebutyratum, tum lactis serum, aquae gazoso-salinae ceu Selteranae, Curiae maioris Spadana Sedlitzensis etc.: caeterum quando tonicis, amaris, adstringentibus, martialibus, nec non auxiliis ad adiuncta nonnulla symptomata compescenda aptis locus fiat, peculiaris aegrotantis conditio, et morbi praesertim status patefaciunt. Hinc etiam prudens edocebitur Clinicus, quando ad pleniorem victum, ad roborans, ac tonicum regimen sit absque metu transeundum. Demum quae de secundariae, ac symptomaticae haematemesis curatione attulimus, illa quoque ad melaenam apprime faciunt: in universum autem iis occurrendum auxiliis quae primario adversantur morbo.

Abdominalium viscerum physconiae, quibus ferme semper melaena fovetur, solventibus, saponaceis, sorbentibus, amaris extractis, cichoraceis, rhabarbaratis, bitartrate vel acetate potassae, sulphate sodae, magnesiae, aquis gazoso-salinis, martialibus, protochlorureto hydrargiri, similibus profligandae, quemadmodum nervosis turbis sedandis apprime conducunt balnea vel semicupia medicata.

XLV. Si ventriculi induratio, pylori, pancreatis schirrus, febris lenta, marasmus omnem sanationis spem adimant, paregorica praesidia ceu mitia antiphlogistica, levia nutrientia, mucilaginosa adhibenda. Demum quoad regimen diaeteticum religiose sequentia Hippocratis servanda praecepta. *Acidis abstineat, dulcibus, oleosis et pinguibus, acria non edat neque salsa*

serum et lac frequenter dato. Sit ergo tenuis diaeta ex cremore hordei, avenae, coctis fructibus, iusculis levibus a quibus sensim ad pleniorem gradus fiat. Sedulae vitandae atmosphericae repentinae vicissitudines non secus ac acria et aromatica alimenta, pinguia, oleosa ac poculenta irritantia quaevis et spirituosi liquores, exercendum moderate corpus, secretiones excretionesque liberae, quantum fas est, servandae, curae omnes sollicite ponendae, illaeque totis viribus declinandae causae quae quovis modo melaenae palindromi occasionem praebere queunt.

DE HAEMORRHOIDIBUS

SIGNA, SYMPTOMATA, CAUSSAE, PROGNOSIS.

I. Haemorrhoidales venae tum internae, tum externae a sanguine in iisdem variis de caussis congesto distentae, in tumores variae figurae, ac magnitudinis assurgunt, acriter non raro dolentes, ac sanguinem varia quantitate, saepe etiam immodica profundunt. Etsi vero frequentius a venoso systemate sanguis fundatur; haud tamen excludendae sunt arteriae, ex quarum parietibus quacumque de caussa hiantibus, erosis, ruptis sanguis etiam profluit.

II. Haemorrhoidum itaque nomine comprehendi consuevit, tum eorumdem vasorum intumescentia, tum sanguinis ex iisdem evacuatio, non minus quam ad hanc molimina. Hinc orta est distinctio in *caecas*, vel *fluentes*, in *internas*, vel *externas*. Haemorrhoidum characteres sequentes a Cullenio traduntur. « *Capitis gravitas, vel dolor, lumborum dolor, vertigo, dolor ani, circa anum tubercula livida, dolentia, e quibus plerumque profluit sanguis, qui aliquando etiam, nullo apparente tumore, ex ano stillat.* »

III. Frequens hoc sanguinis ex haemorrhoidalibus vasis profluvium, etsi saepe a provido naturae molimine excitetur cum utilitate; haud tamen alias, non secus ac caeterae haemorrhagiae, gravibus, et periculosis caret symptomatibus, ac effectibus, quae lenire, et arcere

plurimi profecto interest. Hinc cur nunc *criticus*, nunc *symptomaticus* audiat hic fluxus, et rursus ab indole *mites* vel *graves*, *benignae*, vel *malignae*, *gangraenosae* dictae sint haemorrhoides. Insuper semel enatus haemorrhoidalis fluxus, habitudinis contracta lege, determinatis delectatur periodis, et modo a locali vitio, modo ab universi systematis affectione sobolescit, nunc adauctis, nunc infirmatis vitalibus vasorum proprietatibus. Demum ut et alia sanguinis profluvia in *primarium* hoc quoque, vel *secundarium* dispescitur, et vel simplex est, vel cum aliis morbis complexum init.

IV. Inopinato quandoque, et absque praecedentibus, aut quibus saltem animus attendatur molestiis, sanguinem ex ano stillare animadversum est. At generatim multiplicia, eaque varia tum localia, tum quae universi systematis, vel peculiarium partium, ac viscerum morbosam testentur affectionem, praecedere consueverunt symptomata. Ad haec pertinent capitis dolor, vertigo, tinnitus aurium, spirandi difficultas, maxime a pastu evidentior, lassitudo, oscitatio, pandiculatio, cordis palpitatio, sudor post quemlibet corporis motum paullo vehementiorem: anorexia, appetitus depravatus, dyspepsia, cardialgia, oris amaror, abdominis inflatio universalis, vel partialis, ructus flatus, borborygmi: alvus adstricta, dolores colici variis intestinorum tractibus respondentes. Huc quoque referuntur sensus quidam plenitudinis, ardoris, ac doloris ad lumbos, et ad anum sub sensu quasi guttae calidae delabentis: pruritus ani, et glandis, frequens mingendi, et desidendi cupiditas, dysuria, stranguria.

Huc demum aliae molestiae vario modo, et gradu excruciantes, doloris scilicet, spasmi, anxietatis, op-

pressionis, constrictionis sensus in variis abdominis praesertim locis, ac visceribus, non secus ac in lumbis, ilibus, et coxis, unde et gressus, et incessus difficultas enascitur, et musculorum perturbata actione, aut stupor contingit, aut convulsivis motibus agitantur, ac nonnisi cum dolore, ac labore motus peraguntur. Hinc facile conceptu, febrem non raro consociari, et universas pene totius oeconomiae animalis functiones miris modis perturbari, ac laedi posse, ut mittamus incommoda, quae ex tumentibus, aut inflammationem subeuntibus haemorrhoidibus tum localia, tum consensualia, priusquam sanguinis appareat profluvium, quod quidem solet praeire serosae, mucosae materiei evacuatio, quae faecum egestionem comitatur, aut conatus ad deponendam alvum subsequitur, vel internum sponte ex ano stillat. *Haemorrhoides albas* nonnulli nunc fluxum vocavere.

V. Sub hac rerum conditione diversa observare contingit symptomata, diversosque effectus, prout *caecae* sunt haemorrhoides, vel iam *fluentes*. Et quoad caecas pertinet, visu si externae sint, digito in anum immisso, aut ani sic dicto specillo, si internae, dignoscendas, ita se habent, ut nunc ad podicis marginem varios exhibeant tumores pisi, avellanae, aut etiam ovi columbini magnitudinem exaequantes, numero varios, qui modo partem tantum, modo totam ani peripheriam occupantes, nunc extra ani marginem propendunt, vel circum ipsum sedent, vel oculo subtracti sub maiori tantum nisu ex ano protruduntur, a faecum maxime duriorum egestione, atque haec non raro impedita, ut et etiam impedita, vel admodum difficilis clysterum iniectio: tormina, pulsantes, urentes dolores, ani procidentia, haemorrhoidum ipsarum inter constrictos sphin-

cteres compressio, ac strangulatio cum enormi cruciatu, atque alia quam plurima molestissima symptomata nullo negotio intelliguntur. Hinc etiam eorumdem tumorum non tantum, sed et ipsius recti intestini tunicae inflammationes, indurationes, abscessus, gangraenam saepe induci facile concipitur. Etsi tamen contingit aliquando, ut molles, et flaccidi haemorrhoidales tumores vix, aut ne vix quidem doleant, et lenia propterea pariant incommoda.

VI. Quod vero spectat ad haemorrhoides fluentes, unde frequenter plura ex memoratis symptomatibus, ac molestiis prout sanguis deiicitur, pari passu moderantur, ac demum quiescunt, vario pariter modo, et adspectu se praebet evacuatio sanguinis; hic enim vel purus stillat, vel cum faecibus emittitur, harumve egestionem nunc praecedit, nunc subsequitur. Rursus, sicuti interdum guttatim, et modica quantitate effunditur sanguis, vel striatim tantum cum excrementis miscetur, aut nonnisi mucum sanguinolentum exhibet, ita alias pleno profluit rivulo, et, vel repente, vel etiam paullatim, sed continuata eo pervenit eiusdem eiectio, ut, virium insigni subsequenti collapsu, consimilibus, ac de aliis excedentibus haemorrhagiis animadversum est, ortum praebeat effectibus. Qui autem ex ano profluit sanguis, nunc fluidus, nunc floridus, nunc niger, densus, coactus apparet, alias huiusmodi qualitates alternare deprehenduntur. Sane diversam sanguinis qualitatem esse concipitur, prout vel immediate, ex vasis effluit arteriosis, aut venosis, vel ex utrisque, vel, postquam iam diutius intra tumores haemorrhoidales coërcitus, aut in recto intestino effusus moram iam ideo passus, mox effunditur ex ano, vel purus, vel cum aliis substantiis mixtus.

VII. Memoratis symptomatibus alia accedunt in sequiori sexu, ab haemorrhoidibus: vaginae nimirum pruritus, ardor, dolor, compressio, constrictio, subsequente nonnunquam, aut adiuncto sanguinis ex hac profluvio, leucorrhaea. Rursus observare est, intensiores apparere molestias instante menstruorum periodo, quorum saepe vicarius est haemorrhoidalis fluxus, aut in ea aetate, qua solent conticescere, sicuti et in graviditate, ultimis praesertim huius mensibus, nec non aliquando partui obstaculum poni ex tumentibus haemorrhoidibus, ex quibus sub maximis nisibus ruptis copiose interdum sanguis effunditur.

VIII. Fluentem ex haemorrhoidalibus vasis sanguinem non solum interdum nihil sanitati detrahere, sed saepe pluribus morbosis affectionibus praevertendis, aut sanandis valere, comperta res est, et quotidiana pene observatione confirmata. Quin immo ex huius suppressione gravissima, et periculo plena incommoda frequenter exorta memorantur. Quod quamvis nemo certe in dubitationem adduxerit; haud tamen adhaerendum censent saniores omnes illorum sententiae, qui haemorrhoidalem fluxum generatim habuerunt, ut evacuationem salutarem, ac necessariam, innumeris morbis praevertendis aptam, qui, eo deficiente, fuissent enati, sic, ut fluxus huiusmodi saluti conservandae, ac vitae prorogandae plurimum valere creditus sit. Neque minus contra illis assentiendum, qui parum omnino boni ab haemorrhoidali fluxu expectari posse crediderunt, propter eaque nunquam locum esse ipsi adiuvando, aut ciendo. Verum, ut paucis dicamus, sponte consequitur, ita haec omnia facienda esse, ut haemorrhoidum laudes, ac vituperia suos apud aequos rerum aestimatores habeant limites,

et, nonnisi corporis statu, atque adiunctis non secus ac effectibus diligenter notatis, de eorumdem utilitate, ac noxa in singularibus casibus litem dirimere fas sit.

IX. Omnia quaecumque sanguinem ad arterias haemorrhoidales allicere valent, ut et illa, quae eiusdem per venas regressum intercipiunt, aut remorantur, inter haemorrhoidum occasionales caussas recenseri merentur. In hunc censum veniunt stimuli recto intestino, vel vicinis partibus admoti, quo spectat irritatio ab acribus directe, vel indirecte inducta: clysteres calentes, nimium irritantes, spirituosorum, et aromaticorum abusus, acuta, irritantia indita corpora, drastica, aloëtica, vapores, balnea calentia, hirudines, partus nisus, conatus ad egerendam alvum, equitatio, succussio violenta, catharrus intestinorum, dysenteria: morbi uteri, vesicae, vaginae: suppressae aliae evacuationes, virus venereum, vel blenorrhoicum, rheumatica, arthritica, herpetica affectio, similia. His quoque accensentur faeces in crassis intestinis diutius morantes, durae, compactae, diaeta sicca, cibi dyspepti, corpora dura, aut prunorum, cerasorum nuclei, ossicula animalium, farinacea non fermentata: alvus obstructa, compressio a flatibus, aliisve caussis inducta: tumor, obstructio, scirrhus lienis, hepatis, mesenterii, uteri, vaginae, diuturna trunci corporis perpendicularis positio. Nec reticendus diutinus in sella perforata insessus, qua de re damnanda, ut advertit Haenius, prava consuetudo socordium, aut nimis occupatarum matrum, atque nutricum, quae infantes hisce sellis insidere cogunt diutius, unde lapsu temporis dispositio nasci potest ad haemorrhoides: quo etiam referenda consuetudo latrinis ipsis diutius insidendi, nec non faeces ob desidiam, aut aliam caussam diu retinendi.

X. Melancholici laute viventes, inertem, otiosam agentes vitam, praepingues, diutinis curis oppressi, plethorici, ac qui aliis sanguinis fluxibus anteriori aetate laborarunt, haemorrhoidibus magis obnoxii animadvertuntur, ut mittamus, quamplurimas ex mox recensitis occasionalibus caussis praedisponentium munere quandoque etiam fungi, quam imo praedispositionem a parentibus in prolem transmissam testantur observatores. Demum fluxus haemorrhoidalis virili, ac provectiori aetati magis familiaris haud tamen caeteris parcit, *nec desunt*, ut inter caeteros refert LIEUTAUD, *infantes septem, vel octo annorum, qui hunc fluxum ad ultimam rerum lineam protrahendum iam patiuntur.*

XI. Quemadmodum haemorrhoidalis fluxus non raro providum est naturae molimen a pluribus morbis corpus eximens, neque ullum pariter est dubium, quin frequenter in morbis tum acutis, tum etiam chronicis criticam, aut salutarem sistat evacuationem, ut iam pluries animadvertimus, et per constantes omnis aevi observationes confirmatum est; ita et plura, eaque interdum gravia eumdem fluxum sibi adsciscere, et post se trahere incommoda, ac mala ratum est, exploratumque. Adde quod non pauca prostent Medicorum observata, quae graves, et ominosas prorsus ex hoc fluxu sufflaminato affectiones aliquando lethales exortas testentur, et vicissim immunes iam pronunciaverit HIPPOCRATES a pluribus morbis haemorrhoidibus laborantes. At qui subsequuntur ex hoc fluxu effectus vel salutares, vel noxii non ex quantitate solum fluentis sanguinis, sed ex corporis conditione, ex morbi indole, et tempore, aliisque peculiaribus vix generatim definiendis adiunctis sunt repetendi. Hinc manifestum est quanti

ad haec omnia intersit attendere, ut illa datum sit assequi, quae eiusdem prognosim respiciunt, de qua ideo nonnulla collegisse suffecerit ex veterum testimonio, non minus quam ex diligenti recentiorum observatione excerpta. Et primo quidem, sicuti de narium haemorrhagia notatum fuit, nulla profecto est ratio, cur superveniens haemorrhoidum fluxus in plethorico, athletico, lautius nutrito, ac florido corpore non solum periculi expers, sed utilis pronuncietur: quae quidem etiam militat ratio, si suppressae alterius evacuationis vices suppleat, dummodo semper modicos intra limites coërceatur.

XII. Bene ominatur haemorrhoidalis fluxus si in illis morbis contingat, in quibus a sanguinis evacuatione, tum generali, tum praesertim locali iure levamen est expectandum: neque aliter sentiendum, si in iis manifestetur adiunctis, in quibus sanguinis fluxus morbis praevertendis, aut eorumdem recidivae praecavendae valere credatur. *Melancholicis*, ait Hippocrates, *et nephriticis haemorrhoides supervenientes, bonum; quae apoplecticis veniunt haemorrhoides, salutares*: idem tradit de phreneticis: *insanientibus si varices, aut haemorrhoides supervenerint, insania solvitur.* Idem divinus Senex casum refert Alcippi, qui, curatis haemorrhoidibus, a quibus curari vetabatur, simul insanivit. Morbi, in quo fluxus haemorrhoidalis supervenit, indoles, ac praesertim subsequens ab eodem levamen, vel contra, utrum criticus, aut symptomaticus sit fluxus, indicabunt. Etsi autem sanguinis ex haemorrhoidalibus vasis iacturam, quamvis non minimam facilius caeteris haemorrhagiis perferri observationes doceant, eamque boni ominis censendam, quum aliis magis pertimescendis

sanguinis fluxibus, ut haemoptysi, haematemesi, haematuriae, supervenit; si tamen modum excedat, numquam periculo immunis est existimanda: *saepe enim,* ut inquit Frank, *non adeo ob mortem, quam raro citius inducit, quam ob facilem hydropem, tabem, ob intestini abscessus, ulcera, fistulas, et aliquando gangraenam, periculi plena, ac semper incommoda dicenda est.*

XIII. Sunt qui opinentur, utilitates, aut noxas, quae tum ex fluentibus, tum ex suppressis haemorrhoidibus enascuntur, facilius praenosci, atque hinc adeo non minus ad assequendam symptomatum aethiologiam, quam ad curationem suscipiendam maiorem subsequi facilitatem, si ratio habeatur vasorum, prout nempe vel ab internis, vel ab externis sanguis funditur. Verum cognitae ex anatome haemorrhoidalium vasorum distributiones, ac praesertim multae, quas alunt externa cum internis communicationes sat evincunt, tanti non esse faciendam hanc considerationem, *ut ab externis*, ita De-Haen, *haemorrhoidalibus vasis tam scrupulose interna seiungamus, ut hinc varium scopum practicum veluti dirigere annitamur.*

XIV. Interim sicuti a spontaneis, a caussa evidenti, aut naturae conatu primum excitatis haemorrhoidibus non valde pertimescendum; haud tamen praetervidenda sunt mala, quae ex iis habitualibus factis possunt oxoriri, quotiescumque repente ex aliqua caussa, aut praeposteris auxiliis supprimuntur. Tunc scilicet vel haemorrhagiae ex aliis locis, et graves viscerum non solum imi ventris, sed et pectoris, et capitis congestiones, inflammationes, nervosi affectus, et aliae permultae aegritudines, tum acutae, tum chronicae iure sunt metuendae. Hinc cur inter caetera in indagandis morborum

caussis tanti intersit siscitari, utrum haemorrhoidum fluxus habitudinis leges iam adeptus vexaverit.

XV. Qui possit praestolari exitus in haemorrhoidibus caecis, visu, aut exploratione dignoscendis, ex harum numero, magnitudine, sede, caussis, inflammationis vehementia eruendum, unde ipsarum resolutio, vel transitus in indurationem, suppurationem, ulcera, fistulas, sinus, gangraenam, haud ita difficile praenoscere datum erit.

CURATIO. PROPHYLAXIS.

XVI. Quae in haemorrhoidum curatione suscipienda se se offerunt, eo in primis tendunt, ut prudens Clinicus determinare satagat, utrum hunc fluxum sinere, aut promovere, an vero moderari, aut compescere expediat. Qua quidem in re plurima profecto se se offerunt consideranda, ut ex voto indicationibus satisfiat.

Et primo quidem haud certe iis erimus, qui persuadeamur, hunc fluxum viris aeque necessarium esse, ac foeminis menstrua. Quamvis nim inter caeteras haemorrhagias haec minus terrere debeat, atque observationibus comprobatum sit, salutarem saepe numero eumdem se se exhibere; est tamen semper praeternaturam; *neque enim* (ut iam dixit Galenus) *omnium hominum est sanguinem his venis effundere, sed quorumdam, neque sanguis unquam, nisi in foeminis secundum naturam excernitur.* Hinc cur ex plethora ex. gr. haemorrhoidalem fluxum passo aegrotanti, atque, hoc sufflaminato denuo male se habenti, haud tamen curatio semper in eo debeat consistere, ut is restituatur; siquidem quemadmodum si determinato tempore coecis

tumentibus haemorrhoidibus, aliisve praesentibus symptomatibus naturae molimen per hanc viam manifeste indicetur, convenit naturae indicatum sequi hunc fluxum provocando; ita pariter nullum est dubium, quin aliis in adiunctis diaeta, exercitationibus, venae sectionibus, caeteris appositis auxiliis, et plethoram tollere, et ipsam praepedire datum sit, ac propterea non solum liceat interdum, sed oporteat haemorrhoidalem fluxum impedire, ac coërcere. Id magis perspicuum fit, si perpendamus, naturam hunc fluxum in multis non excitare, multa incommoda ex eodem contingere, et ex occasionalibus pluribus caussis produci, ut induratis faecibus, pravis consuetudinibus, equitatione, graviditate, similibus, quin caeteroquin haec sanguinis evacuatio saluti necessaria censeatur. Natura verbo haemorrhoidibus non est assuefacienda; consuetudine enim inducta iam non amplius licebit absque discrimine incommodum penitus arcere. Hinc intelligitur, cur de diuturnis haemorrhoidibus speciatim dixerit Hippocrates, non omnes curandas esse, sed unam servandam esse apertam.

XVII. Haud tamen censendum est, in diuturnis et habitualibus factis haemorrhoidibus adeo generalem esse earumdem servandarum, promovendarumque indicationem, ac necessitatem, ut numquam fiat locus ipsarum curationi. Enim vero, si caussa, ex qua haemorrhoidalis fluxus sustinetur, eius generis est, ut aptis queat removeri auxiliis, an non praestabit ipsi tollendae incumbere, ut deinde compescatur fluxus, atque ex hoc metuenda praepediantur mala? Dabimus, si lubet, haud ita facile hoc in casu ferri posse iudicium; et omnia sedulo libranda esse adiuncta, nec

non perpendendos effectus, ex ipso profluvio in oeconomia animali productos, summam, idcirco requiri circumspectionem, antequam certi aliquid statuatur. Comparatio praesentis casus cum praeteritis, ut paucis dicamus, in quibus manifestum ex haemorrhoidali fluxu contingit levamen: identitas morbi, ac symptomatum ab eodem sufflaminato apparentium: cognitio caussae vel universalis, vel localis totidem sunt adiumenta, quae, non secus ac morbi indoles explorata, plurimam poterunt lucem effundere ad vitandas pro viribus ambiguitates, ad distinguendum nempe, utrum revera salutare naturae conamen sit, an effectus morbosae alicuius caussae, cui non minus tollendae, aut infringendae, quam coërcendo sanguinis profluvio sit allaborandum.

XVIII. Hinc patet, cur iure laudatus De-Haen illos arguat, qui ex apparentibus nonnullis symptomatibus, quae nunc haemorrhoides ipsas, nunc menses, nunc alvi profluvia, nunc renum, vesicae, aliorumque viscerum affectiones possunt indicare, a praeconcepta opinione ducti, *adeo facile ad cogendum hunc fluxum naturam lacessunt; scatent enim* (inquit) *Practicorum observata infortuniis, quae oborta sunt iis, qui, medico cogente, haemorrhoidarii redditi demum hunc fluxum aut minus sufficientem, aut penitus habuerint suppressum.* Insuper advertit idem cl. Vir, praeter damna, quae tum ex nimia sanguinis evacuatione, tum ex aliis, quas sibi adsciscunt haemorrhoides, molestiis, et calamitatibus praeconceptam ubique haemorrhoides excitandi opinionem id damni praxi posse inferre, ut vera caussa dolorum in lumbis, in ano, in vesica urinaria praetervideatur, hominesque, neglecta vera

aerumnarum caussa, frustra ad haemorrhoides torqueantur.

XIX. Mittimus illorum opinionem, qui censent, ideo tanti faciendum esse fluxum haemorrhoidalem, quod ater, luridus, densus venae portarum sanguis (atra bilis veterum) per hanc viam evacuatus pluribus viscerum praesertim imi ventris affectionibus tollendis, ac praepediendis valere creditus sit; siquidem non semper directe ab ipsa portarum vena sanguinem fluere notum est, sicuti etiam, et ipse arteriosus sanguis ex hemorrhoidalium arteriarum extremitatibus non secus ac in caeteris partibus dilatationem, aut rupturam passis emittitur. Sane nullum est dubium, quin ex applicitis hirudinibus venae aeque ac arteriae saucientur, et cum atro floridus etiam, sincerus profluat sanguis. Adde quod melancholici, et hypochondriaci affectus maxime a solidorum, ac praesertim a systematis nervosi vitio sobolescant, et foveantur: quo quidem in casu ex diu coacto haemorrhoidali fluxu pessime multarentur aegrotantes.

XX. Haec praemisisse sufficiat, ut constet, ex haemorrhoidali fluxu summam utique saepe utilitatem haberi, et expectari posse; eius tamen generis esse, ut non adeo facile, neque frequenter ab ipso blandiri sinamus, ut sic ea negligantur, quae caeteroquin aegrotantes ab hoc incommodo possent vindicare; alia enim natura profert molimina, aliis scatet ars subsidiis, ut morbis, ac symptomatibus occurrat praeter hanc evacuationem. Re quidem vera observare est, morbos eosdem nunc haemorrhoidibus, nunc sudoribus, nunc alvi fluxu, aut urinae iudicatos, nunc alio modo, sicuti colligere est ab exemplo ab ipso Hippocrate al-

lato: Alcippus nempe ex curatis haemorrhoidibus in maniam incidit, quam non restitutus hic fluxus, sed superveniens febris solvit. Natura scilicet ipsa, cuius vergentiam continuo inspicere oportet mira prorsus efficit, quae ars numquam ausa esset. Ars itaque vel ex alia vena ducto sanguine, vel aptis auxiliis, quibus tollantur, aut emendentur caussae, removeantur obstacula, avertatur stimulus, id potest consequi, ut non recentes tantum sed et ipsae diuturnae haemorrhoides tandem absque salutis detrimento curentur, atque ab his immunes reddantur homines.

XXI. Itaque in eo versari debet haemorrhoidum curatio, ut primum obviam fiat caussis, unde productae fuerunt, ac sustinentur. Hinc plethoram venae sectionibus, diaeta tenui arcemus, ac praepedimus: alvi densitati occurrunt enemata ex decoctionibus emollientibus, addito ad opus butyro, oleo, melle, nec non blanda eccoprotica ex cassia, manna, tamarindis, cremore tartari, aut olivarum, vel amygdalarum dulcium oleis: difficilis ac dolorificus ad induratas faeces deponendas nisus sedatur iniectionibus, ex oleo, butyro, lacte: nec spernendi usus sunt suppositoria ex iisdem substantiis parata, non minus, quam ex sapone. Interim vero animi quies concilianda, corporis horizontalis, supinus decubitus servandus, positio abdominis incurva vitanda, arcendae, si quae sunt, compressiones, et laxanda cingula, eodemque tempore tumentibus et inflammatis haemorrhoidibus fotus ex frigida, aut oxycrato, vel acetato plumbi in aqua diluto admovendi, ac identidem renovandi. Alia quoque plumbi, nec non zinci praeparata commendata fuerunt, quo spectant subcarbonas plumbi album, seu cerussa, per-

oxydum plumbi rubrum, seu minium; sulphas zinci, oxydum zinci sublimatum. Laudes quoque obtinuerunt cataplasmata ex foliis nicotianae tabaci, non secus ac fotus, et iniectiones ex horum infuso, ut nihil dicamus de digitali purpurea, cuius infusiones a clar. Rubini commendatas legimus, et de bene multis, quae pro indicationum varietate locum habere posse traduntur.

XXII. Si autem vehemens admodum sit tumentium haemorrhoidum inflammatio, si calor, ardor, dolor ingens pulsatilis vexet ab attactu, sessione, conatubus ad egerendam alvum, aliisque corporis motibus maxime excrucians, praeter venae sectiones pro indicationibus iteratas, ac demulcentium, temperantium, diluentium usum, cataplasmata emollientia ex malva, althea, parietaria, ex pulpa pomorum dulcium, vel mica panis lacti incocta, similibus applicanda, iisque pro re nata anodyna consocianda. Cataplasmata ex foliis hyosciami albi, nigri solani non spernendae utilitatis tunc sunt. Plurimum profuisse ad temperanda symptomata, et leniendos dolores frequenter observavimus applicationem foliorum lactucae coctorum vel per se, vel additis hyosciami foliis. Multum quoque commendatur unguentum populeum vel per se, vel cum butyro recente mixtum. Unguentum ad haemorrhoides ita dictum, cuius compositio varia penes diversa antidotaria suum etiam locum habet: ita tamen ut non nisi ex cognita ipsius compositione statuere liceat utrum, et quando conveniat, aut alterum potius, quam alterum sit praeferendum.

XXIII. Quod si haec omnia levandis incommodis paria non sint, turgentes sanguine haemorrhoides re-

serandae. Id susceptis aquae calentis vaporibus obtinetur, secus hirudines ipsis applicantur; quum vero frequenter densiores factae tumorum haemorrhoidalium membranae hirudinum morsui resistant, ex quibus maior tunc irritatio sequeretur, lanceolae ope aperiendi tumores, quo collectus densatus educatur sanguis, et sic praepediantur graviores fortasse, quae inde sequerentur, laesiones.

XXIV. Quum recti intestini prolapsum haemorrhoidibus caussam praebere, aut ipsas fovere compertum est; illius repositio curanda vel manus auxilio, vel adstringentibus prudenter admotis, eaque sedulo vitanda, quae novo descensui quocumque modo favere queunt. Huc etiam spectat remotio caussarum, quarum potiores esse consueverunt faeces induratae, frequentes nisus ad alvum deponendam, insessus diuturnus, nec non saepe numero partis ipsius laxitas.

XXV. Quum non minus gravibus permultis symptomatibus, quam nimiae saepius recurrenti, ac contumaci sanguinis ex haemorrhoidalibus vasis evacuationi ortum praebeat haemorrhoidum internarum descensus, quo fit, ut inter ani sphincteres non raro compressae strangulentur, nec semper ipsarum in anum regressum (qui certe tentandus est prius digito ipsis repositis, vel inunctionibus ex oleo, butyro, albumine ovorum, praeterquamquod interdum ipsae incisae, et sic mole imminutae per se restituuntur), ita obtinere fas sit, ut ex levi nisu iterum, iterumque non extrudantur; hinc cur hisce in casibus radicalis curatio non nisi ex ipsarum haemorrhoidum recisione auspicanda sit, quam ipsarum ligaturae, ut nonnulli proposuerunt, praeferendam docent artis Magistri. Id etiam censendum de

externis haemorrhoidibus, quandocumque caeteris auxiliis refractariae gravibus, pertinacibus, atque habitualibus vexare pergunt incommodis. Cauterii actualis usus a veteribus commendatus nunc pene exolevit.

XXVI. De his plura non addemus utpote potius ad Chirurgorum provinciam spectantibus, ad quorum ideo consilium, auxiliumque in hisce adiunctis confugere praestabit. Neque magis immorabimur in prosequendis variis haemorrhoidum sequelis, ut sunt indurationes, abscessus, fistulae, gangraena, tum quia haec quoque Chirurgiae opem saltem consociatam expostulant, tum quia multa, quae ad Medicinam pertinent, ex illis, quae de inflammationum vario exitu innotescunt, nullo negotio hauriri, atque huc referri posse putamus.

XXVII. Animadvertendum, non raro haemorrhoidales tumores flaccidos omnino se se exhibere, ac vix, aut ne vix quidem dolentes. Fotus tunc ex vino rubro chalybeato, aut cui myrrha, china-china, cortex granatorum infusa sint, aut solutum alumen, aliave adstringentia proficue adhibentur. Ex his omnibus manifestum est, diligentem partis inspectionem, explorationemque nunquam esse negligendam.

XXVIII. Quotiescumque ex nimia sanguinis iactura periculum imminet, iuvabit haemorrhagiae fraenum imponere tum externis, tum internis auxiliis. Quapropter, sicuti de aliis haemorrhagiis diximus, si tum antecedentia, tum concomitantia signa, et symptomata activam fluxus prodant indolem, nullum est dubium, quin venae sectionibus in brachio, manu, institutis, cucurbitulis dorso applicitis, tepentibus superiorum extremitatum fotubus, ac frictionibus sit occurrendum, apposita imperata diaeta, ac temperantis subacidi potus

administratione. Quod si, his pro indicatione praemissis, urgeat tamen discrimen ex virium concidentia, aut opposita sit profluvii indoles, tunc, supino servato corporis situ, usuveniunt frigidi ad anum, perinaeum, nates, nec non gelidi fotus ex aqua cum aceto remixta. Hinc etiam proderunt fotus, ac iniectiones in anum ex decoctis ratanhiae, corticis peruviani, granatorum, quercus, additis in urgentissimo casu alumine, acido sulphurico, aqua styptica. Spongiae quoque, aut pessa hisce madida, aut pulveribus adstringentibus inspersa in anum introducuntur, ut praetereamus succos e plantaginis, urticae, sempervivi, similium, atque epithemata ex recentibus harum herbarum foliis contusis, aliaque permulta, quae pro opportunitate vel in aliorum defectu utilitate certe non carent. Interim interno usu serum lactis tamarindatum, subacescentes vegetabilium succi tutius usurpantur, uti et peruviani corticis decoctum, aut tinctura aquosa, neque parvi faciendae refractae ipecacuanhae doses a quamplurimis commendata. Caeterum cautiones, et monita de haemorrhagiis generatim tradita huc quoque referenda; non enim facile adeo est, nisi peculiaribus casibus, atque adiunctis aequa lance libratis, veros statuere limites, quos praeterire nefas esset in coërcendo haemorrhoidali fluxu, etsi tamen, ut saepius innuimus, ab effectuum consideratione plurimam fas sit lucem mutuari.

XXIX. Neque minoris momenti est cavere ab iis causis, quae fluxui fovendo, et excitando sunt pares. Vitanda ergo frequentia ad egerendam alvum conamina, ac faecibus emolliendis continuo incumbendum. Vix alvo exonerata, insessum deserat aegrotans, partes

frigida abluat, reponantur, si prolapsae sint, haemorrhoides, a tussi, sternutatione, motubus tum corporis, tum animi vehementibus temperet pro viribus. Hinc cur symptomatibus nonnullis, ut sunt dolores, tussis, spasmi, vigiliae saepius sedantibus, anodynis sit occurrendum, fortioribus vero stimulantibus, ac maxime purgantibus, nec non clysteribus acribus, drasticis sit valedicendum.

XXX. Coërcito fluxu expedit effectibus, ac symptomatibus superstitibus emendandis, ac removendis incumbere, opportunis in usum ductis auxiliis iuxta eorumdem varietatem, sicuti de aliis haemorrhagiis dictum est. Sedula vero caussarum, quae haemorrhoidali fluxui occasionem praebere queunt, fuga et non intermissa eorumdem remediorum administratio, quae caussis adhuc corpori inhaerentibus tollendis, infringendisque sunt accommodata, apposito accedente vitae regimine, ea sunt, quae ad confirmandam non minus curationem, quam ad recidivam praecavendam facilius parant iter, atque expeditum.

XXXI. Quod demum pertinet ad morborum curationem e suppressione haemorrhoidum enatorum, cum in caussas haemorrhoidum primarias inquirendo, tum suppressionis ipsius rationem, ac coniuncta prae oculis habendo minus difficile erit eruere, utrum ad illarum remotionem, an ad fluxus haemorrhoidalis restitutionem convertendus sit animus. Quapropter consequitur, aptam unicuique caussae methodum aptandam esse. Fluxum autem susceptis vaporibus aquae calentis, tepentibus, emollientibus fotubus, aut cataplasmatibus applicitis, semicupiis, corporis exercitatione, equitatione, si nihil obstet, imperata, revocare saepe datum est,

maxime vero hirudinum applicatione, aut detracto, pro ut opus, sanguine ex saphena tutius, ac promptius levamen expectare licebit. Neque pro re nata respuendae frictiones ad anum ex foliis ficus, aut ex ruida charta, ut et suppositoria ex sale, aut ex aloë, similibusque, dummodo tamen metus nullus sit inflammationem excitandi. Purgantium quoque aloëticorum usus plurimam apud Auctores invenit laudem ad ciendas haemorrhoides, quod etiam dicendum de martialibus. Verum, quemadmodum horum non minus, quam aliorum remediorum administrationi suum certe non deesse locum, libenter damus, non nisi tamen cognitus singulorum agendi modus, et peculiarium adiunctorum consideratio ea sunt, quae tempus, opportunitatem, et prudentem selectum indicabunt.

DE METRORRHAGIA

Art. I.

I. Fluxus sanguinis ex vagina immodicus, et praeternaturalis *metrorrhagiae*, *menorrhagiae*, vel *haemorrhagiae uterinae*, *hysterorrhagiae* nomine designatur. Quum autem variis in foeminarum adiunctis locum habere queat, in plures species divisa est: hinc *metrorrhagia menstrua*, *gravidarum*, *puerperarum*, *vetularum* dicta: nos menstruam primum, quae *menorrhagia* a *mènë*, menstruum et *rhëgnymi*, erumpo, proprie appellatur, dein alias species paucis perstringemus.

II. Quoties menstrua, apto licet tempore, nimia quantitate erumpunt, vel frequentius effluunt, vel diutius perdurant, metrorrhagiam menstruam dicunt, quae quidem sanguinis iactura modo cum impetu fit, at parum perdurat: alias autem exigua est, at diuturna, et ubi cessaverit levi de caussa revertitur. Priori in casu appellatur *accidentalis*, vel *acuta*, in altero *habitualis*, seu *chronica*. Illud interea monere expedierit, non omnem catameniorum irregularitatem haberi merito posse veluti menorrhagiam: etenim foeminae sunt, quae frequentius catameniis funguntur, quin tamen inde sanitas laedatur. Inspiciendum itaque, utrum fluxus sanguinis functiones perturbet, adeoque morbosus existimari queat.

III. Menorrhagiam praecedunt universalis lassitudo, totius corporis gravitas, capitis dolor, vertigines, lum-

borum pondus, dolores dorsi, ac ventris, spiritus difficilis, cordis palpitatio, anxietas, horripilationes cum calore alternantes, os siccum, sitis, pulsus subdurus, ac frequens, aliquando nausea, et vomitus, animus morosus. Sanguis, qui effluit, nunc floridus est, nunc in grumos coactus. Accedunt nausea, anorexia, vomituritio, vomitus; gastrodynia, cardialgia. Capitis dolor exasperatur: dolent et artus. Ubi gravior est sanguinis iactura, vires collabuntur: pulsus fiunt contracti, celeres: obrepunt lipothymiae: extrema frigent: sudores frigidi erumpunt. Demum si affectio per longiores moras invaluerit, cachecticus fit corporis habitus: oculi cavi evadunt: oedema pedes, ac crura occupat: anasarca excitatur: ad concubitum, et generationem impotentia nascitur.

IV. Non est difficile menorrhagiam activam a passiva distinguere. Ut autem aequum iudicium feramus, cum praegressa, tum praesentia sedulo attendenda. Si caussae incitantes praegressae fuerint, et satis valida sit foeminae constitutio, pulsus vibrans, tensus neque diu adhuc perduraverint sanguinis fluxus, menorrhagia erit activa. E converso universalis debilitas, ac laxitas, caussae debilitantes praegressae, ac fluxus diuturnitas monent esse passivam. Illud est addendum, scilicet metrorrhagiam passivam non ea omnia prodere symptomata, quae superius memoravimus; sed in ea observari pulsum debilem, universalem atoniam, et cachecticum corporis habitum.

V. Caussae, quae menorrhagiam producere valent, multiplices sunt. Praecipue vero censentur sequentes: 1.° caussae omnes, quae plethorae universali favent: huc attinent alimenta euchyma, aromatum, et liquo-

rum spirituosorum abusus: vita deses: longus somnus: consuetae alicuius evacuationis suppressio; 2.° caussae, quae sanguinem ad generationis partes alliciunt: quo attinent ictus, lapsus, choreae protractae, equitatio, arctiores vestes, imprimis thoraces, emesis violenta, sternutatio frequens, cachinnus immodicus, pediluvia tepida; 3.° potentiae morbosae, quae vel directe, vel sympathice uterum lacessunt. Directis accensenda veneris abusus, vel intensum eius desiderium; pessa irritantia: cathartica acriora: emmenagoga iterata: clismata acria: tenesmus. Ad caussas vero sympathicas referenda praesertim gastrica saburra; 4.° caussae, quae nimiam in vasis uterinis distentionem inducere queunt, uti partus numerosi, vel difficiles, et abortus; 5.° quae laxitatem procreant, et uteri atoniam adducunt, menorrhagiae passivae viam sternunt; 6.° demum scirrhus, ulcus malignum, carcinoma, ut alia huiusmodi localis irritatio.

VI. Prognosis varia est, prout differt sanguinis effluentis quantitas, prout iactura est celerior, aut lentior. Quo brevioribus intervallis revertitur haemorrhagia: tanto ominosior. Iuniores, ac vetulae plus noxae perferunt, quam quae mediam aetatem emetiuntur: foeminae, quae exhibent cutem mollem, et laxam, venas magnas, conspicuas, caeruleas, pulsum plenum, ac frequentem, capillos rufos, aut flavos, et sanguineo temperamento donantur, minus a menorrhagia patiuntur. Contra quae sunt obesae, debiles, ut vultu pallido, aegrius haemorrhagiam uteri ferunt, maioremque inde noxam experiuntur. Si humor mucosus, saniosus, ac foetidus ex vagina affluat; si instituta exploratione uterus durior, profundior deprehendatur: si os uteri

sit inaequale, subcallosum, scirrhum, carcinoma, vel ulcus malignum adesse diudica, quo in casu morbus vix aliquam sanationis spem linquit. Animi deliquium fugax non maxime metuendum: contra si illud diu perduret, nec remediis erigatur, si simul extrema frigescant, et membra convellantur. Hinc medicinae Parens scriptum reliquit: *Si fluxui muliebri convulsio, et animi deliquium superveniat, malum.*

VII. Menorrhagia varia ratione curanda pro varia caussarum indole, et ipsius fluxus natura. In primis animi, et corporis quies imperanda: vestes statim solvendae, ne externa vasa comprimantur. Aegrotans horizontaliter decumbat supina: atmosphaera sit subfrigida: stragula non sint nimia: victus sit tenuis, ac potiones subacidae, et refrigerantes. Alvus clysmatibus emollientibus, aut lenibus catharticis aperta servetur: a rebus aphrodisiacis penitus temperandum.

VIII. Tradita in omni menorrhagiae casu conveniunt. Alia vero praesidia varia sunt, prout varium est affectionis ingenium. Diligenter itaque attendendum, utrum fluxus sit activus, an contra passivus. Si menorrhagia virginem viro maturam, aut robustam foeminam adoriatur, et stimulantes caussae praecesserint, si pulsus sit durus, validus, frequens, et caetera plethoricae conditionis indicia se prodant, ad methodum antiphlogisticam confugiendum.

IX. Quamobrem phlebotomia ex brachio statim est insituenda, et pro re nata iteranda. Potus frigidus, subacidus, nitras potassae, tartras potassae acidulus plurimum emolumenti pollicentur. Victus sit tenuis, atque refrigerans. *Digitalem purpuream*, *acidum hidro-cyanicum*, *aquam laurocerasi*, *secale cornutum* quod ecbolica

atque electiva vi agere contendunt, maximis extollunt laudibus, qui ipsa in *antistimulantium* remediorum censu reponunt. Verum quum de his nondum penes medicos consentiat, non est, cur a caeteris propositis, et tum ratione indicatis, tum experientia confirmatis auxiliis, recedamus.

X. Chronicus sanguinis ex utero fluxus generatim contraria praesidia expostulat, quibus curetur. Ibi in usum vocanda sunt antispasmodica, tonica, adstringentia. Moschus, aether sulphuricus, hydro-chloricus, liquor anodynus mineralis Hofmanni, castoreum huc referuntur, opiatis non ablegatis, tunc praesertim summopere utilibus, quando convulsiones, vigiliae, aliaeve subortae a nimia mobilitate, ac sensibilitate turbae sunt compescendae.

XI. Tonicis, et adstringentibus pro re nata in menorrhagia fidenter usurpandis accensenda cortex peruvianus, cortices quercus, granatorum, cascarillae, simarubae, salicis, radix rathaniae, columbo, bistortae, cum in substantia, tum in decocto, catechù, gummi kino, *tanninum* ipsum vel ipso divites stirpes, folia vitis moschatae non secus ac acida alcohole edulcata, ceu sulphuricum, hydro-chloricum passim adhibita quoque utiliter fuere. Sunt qui proponunt, nec immerito, ipecacuanham per epicrasim assumptam. Additio opii virtutem adauget; hinc pulvis Doweri summopere celebratus. Superius adnotavimus a gastrica saburra menorrhagiam foveri; quo in casu iuvant emetica, ac purgantia.

XII. Cum efficacem in externis haemorrhagiis stypicorum virtutem adnotassent Medici, iisdem et usi sunt ad haemorrhagias compescendas, quae ab internis caussis promanant. Hinc laudantur sulphas martis,

sulphas aluminae cum potassa, zinci, aqua styptica Liborii, Rabelii, Clementina, acida vegetabilia ac mineralia plura, ac chlorureta rite diluta. Aquas minerales ferrugineas, praeparata martialia feliciter quoque usurpata constat.

XIII. Quum sanguinis fluxus internis auxiliis satis prompte compesci non potest, non sunt negligenda remedia externa, quibus saltem cruoris iacturam moderemur. Cataplasma ex synapi, aut emplastrum compositum ex duabus emplastri galbani partibus, et una cerati epispastici abdomini applicitum miras utilitates attulit, quod testatur Weikard. Linimentum volatile Boerrhaavii, vel opiato-gastricum, camphora in aethere soluta, tinctura cantharidum, oleum aethereum nucis moschatae fausto cum successn abdomini illiniuntur. Aqua simul frigida, et ipsa glacies contusa per intervalla utiliter apponitur: *cucurbitulam maximam mammis appositam menstrua sistere iampridem aphoris.* 50 sect. V. adnotaverat Hippocrates.

XIV. Sub maximo sanguinis fluxu iuvat quoque aquam frigidam, vel solam, vel cum aceto, sulphate ferri, sulphate aluminae cum potassa, sulphate zinci in vaginam iniicere: linteum contortum, turundas, spongiae frustula aceto, ammoniaca liquida, aqua vegeto minerali, vulneraria aut adstringentibus aliis imbuta in vaginam intrudere. Artuum ligaturae olim maxime laudatae ad sistendas haemorrhagias, quae nostra aetate penitus obsolevere.

XV. Supervacaneum ducimus animadvertere criticam quandoque se sistere menorrhagiam, quo in casu nonnisi cum gravi detrimento remedia ad ipsam coërcendam praescriberentur. Quum a scirrho, carcinomate, ulcere, aliave locali affectione fovetur menorrhagia; praeter superius proposita, illa quoque exposcit auxilia,

quae a cuiuscumque affectionis ingenio indicantur. Demum menorrhagiam passae, tum eae vel magis quae in ipsam frequentius proclives sunt, in apto regimine, et sedula occasionalium caussarum fuga prophylaxim praesertim quaerere debent.

DE METRORRHAGIA

Art. II.

XVI. Licet menstrua metrorrhagia, quam proprie *menorrhagiam* appellari diximus caeteris frequentior sit, alias tamen metrorrhagiae species haud infrequentes esse, et illa saepenumero ominosiores, pathologica observata evincunt.

XVII. Activa utplurimum est metrorrhagia quae citra menstruationis, et lochiorum periodum, obtingit, non secus ac illa quae utero gerentes, vel parientes, aut recens enixas invadit. Sanguis autem hisce in adiunctis ex uteri quandoque, alias ex vaginae vasis, nunc ex utrisque una simul varia non tantum copia sed et indole, profluit.

XVIII. Blandus interdum, alias acer colore, et consistentia varius se prodit sanguis, modo scilicet coloris rubri, fluidi, coccinei, num pallidi, diluti ad instar loturae carnium, modo obscuri, partim coactus muco, sero, aut grumis variae figurae intermixtus, modo inodorus, modo peculiari scatens, ac non raro foetido odore. Absque interruptione nonnunquam fluit sanguis, alias per certas periodos renovari consuescit non semper regulares, unde multifaria emergunt phaenomena

quae praeterquamquod ex morbo pendent, unde haemorrhagia promanat, varia etiam offerunt discrimina pro vario ipsius uteri statu, et pro diversis aegrotantis adiunctis.

XIX. Metrorrhagiam quae per gestationem contingit, prodroma pathemata praecedunt generatim orgasmum ad verenda, atque ad viscera quae cum ipsis nexum alunt, portendentia, cuiusmodi sunt irritabilitas adaucta, partialis virium oppressio, dolores dorsi, lumborum, abdominis cum plenitudinis in eodem sensu eiusque intumescentia ad hypogastrium potissimum, frequens mingendi stimulus, artuum inferiorum torpor, haemorrhoidalium vasorum tumor, ac dolor, alvus obstipa, horripilationes cum calore alternantes: sitis, pulsus frequens, quandoque irregularis: capitis pondus, ac dolor, accedente vertigine, auriumque tinnitu, aut syrigmo: gastrodynia, nausea vomitus: spirandi difficultas, cum anxietate, ac cordis palpitatione, mammarum sororiatio, dolor: virium collapsus, languor, idque genus alia adiunguntur.

XX. Metrorrhagia utero gerentium, quae vario gestationis tempore potissimum vero versus secundum tertiumve mensem se prodit, pathematibus stipatur nullo negotio abortui, vel praematuro partui locum concessuris. Hanc autem metrorrhagiam a catameniorum fluxu, cui aliquas utero gerentes quandoque obnoxias esse animadversum est, dolorum absentia, atque ex clauso uteri ostio, fas erit internoscere.

XXI. De metrorrhagia quae partum comitatur, aut proxime excipit, obvium omnino est ipsis obstetricantibus iudicium ferre.

XXII. Modum excedens lochiorum fluxus (lochior-

rhagia) adiuncta saepe profert pathemata illis similia quae praetermodum fluentia catamenia comitantur, quibusque brevi symptomata anaemiae, virium imbecillitatis, languoris, lypothimiae, succedunt.

XXIII. Maximi porro momenti est in sanguinis profluviis gestationis tempore, aut post partum contingentibus, sedulo attendere ad internam metrorrhagiam externo quandoque sanguinis profluvio sociatam, aut etiam absque ipso eventuram.

Quae autem internam uteri haemorrhagiam indicare generatim valent recensentur: ponderis sensus, inflatio, tensio abdominis a distento utero producta: dolor obtusus in regione hypogastrica, pallor, frigus extremarum partium: virium ingens collapsus, deliquia, vertigines, visus obnubilatio, pulsus debiles, parvi, intermittentes. Adde quod periti obstetricantis exploratio plurimum confert ad locum, unde profluit sanguis, dignoscendum, unaque simul ad ipsius fluxus causas rimandas.

XXIV. Metrorrhagiae porro utero gestantium praeter traditas generales haemorrhagiarum causas, prophasim praebent gravium ponderum gestatio, aut elevatio: violentiae imo ventri illatae: sternutationes vehementes, tussis, vomitus, spasmi, convulsiones: inflammatio, febris vehemens, diarrhoea, dysenteria, violenta animi pathemata, verbo ea omnia quaecumque praecocem secundinarum distractionem, aut uterini ostii dilatationem postremis mensibus cum placenta uteri cervici vel adhuc nectitur ac oblique ipsi adhaeret, inducere sunt potis.

XXV. Metrorrhagiae parientium, aut puerperalis occasionalibus causis addenda: imperfecta, aut inaequalis placentae solutio a partu nimis rapido doloribus, qui per brevia intervalla recursant, stipata: inaequalis,

atque incompleta uteri contractio a spasmis, secundinarum frustulis aut sanguinis grumis in utero restitantibus: laesiones, vulnera, lacerationes vaginae vel cervicis, aut ipsius uteri corporis a nimis ingenti foetus volumine, aut rudi obstetricantis manu, aut ab instrumentis ad partum sollicitandum in usum ductis. His addenda universalis debilitas peculiari uteri atoniae sociata ex pluribus anteactis, ac operosis partubus, diuturnis leucorrhaeis, vehementibus, valdeque protractis pariendi nisibus, ex nimia uteri, prae insigni foetus volumine, partu gemino, multave amnios aquae copia, distensione.

XXVI. Demum puerperarum metrorrhagiae ansam praebent: errores quicumque in diaeta, maxime alimenta irritantia, calefacientia, ac maxima copia ingesta: praecox e lecto, ac cubiculo egressus, ponderum gestatio, conatus nimii, ablactatio, animi pathemata: excedens cubiculi temperies, potiones theiformes nimis calentes, aut laxantes, drasticorum maxime aloëticorum abusus, similia.

XXVII. Expedit modo pauca de prognosi subdere: metrorrhagiam utero gerentis moderatam ac sine turbis submenstrua periodo recursantem, plerumque insontem neque omnem sanguinis fluxum, qui gestationis tempore per menses modo paucos sine evidenti causa, pro certo futuri abortus signo habendum esse, plurimae observationes evincunt. Non perinde affirmandum de illo profluvio, quod praegressis ad lumbos, uterumque doloribus, vel sub ipsis vehementius, vel sub oris uterini dilatatione manifesta cum impetu profunditur, vel quod mense aut septimo, octavo, aut paullo serius erumpit. Quo maturius humanum ovum ab utero secedit; eo minus haemorrhagia ex eodem formidanda; sed crescit

mirum quantum eundo discrimen. Actum vero conclamatumque est sine manus expertae celerrimo auxilio, si medium ad os uteri iam diutius provectae gestationis, positio placentae est. Si cervici haec adhaereat imminuitur pro distantiae ab ore uterino ratione, periculum; modo citius foetus membranae ruptae aquis istum ambientibus exitum concedant; caput aut nates istarum in locum subintrent, ac os uteri, donec partus sat cito expediatur, adimpleant. Adversis in rerum adiunctis aut sub illo casu, quo sanguis ab utero circa foetum celerius contracto non sistitur, ac internum suboritur profluvium; mors certa, nisi foetus, et placentae extractione sat celeri aversa, impendet. Praecox placentae ab utero separatio, praeterquamquod matri, a profluvio cruoris inducto, exitium minetur, foetui quoque, ad citatiorem tunc aëris ducendi necessitatem redacto, nec tamen sat prompta, in lucem excluso lethalis est.

Profluvia cruoris morbosa quo citius a partu contingunt, eo maius enixae periculum portendunt. Pro varia vero causarum diversitate quae prophasim his metrorrhagiis praebent, varia quoque prognosis est. Mors maxime a profluvio formidanda si visus hebescat, oculi obscurentur, aures tinniunt, syrigmus vexet immanis qualis ab irruentibus aquis percipitur, si manus pedesque frigescunt, aut sudore frigido, viscidoque, facies summe pallens diffluat, si pulsus exilissimus micet, intermittat, si anxie iactatur, ac profunda emittat aegra suspiria; oscitatio continua, sonora, tendinum subsultus, singultus convulsio instans, ferme certum praenuntiant lethum.

XXVIII. Singularem sibi vindicat attentionem therapeia metrorrhagia pro vario foeminarum statu: utero scilicet

non gerentium; gravidarum, parientium, puerperarum. Quoad metrorrhagiam extra graviditatem, praeter positum corporis, et huius non minus quam animi tranquillitatem, remotionemque caussarum omnium tum physicarum, tum moralium, quae sexualibus organis tum directe, tum indirecte irritationem inferre possunt in praescriptione remediorum tum externorum, tum internorum vix recedendum a methodo quam in aliis haemorrhagiis sectandam esse, animadvertimus.

XXIX. Maius facessit negotium metrorrhagia gestantium, nisi de illa sermo sit, quae a vasis vaginae intra os uteri sitis non raro exemplo contingere etiam per aliquot a conceptione menses, observatum. Caeterum sat patet utero prorumpentem cruorem non tantum abortus caussam sistere, sed et ipsius matris, et foetus vitam in discrimen adducere. Hoc porro in statu diligens habenda est ratio caussarum ut indicata iuxta ipsarum varietatem administrentur subsidia. Interim periti obstetricantis petendum auxilium, saepe enim nonnisi absoluta foetus, et secundinarum exclusione haemorrhagiam cohibere datum est.

XXX. Non minorem sollicitudinem exposcunt uteri haemorrhagiae partus tempore, ac post ipsum contingentes, ac periti obstetricantis industriam exercent, tum maxime si praevia placentae fit solutio, quam frigida in umbilicalis funiculi vasa iniecta aqua valide promoveri tradit Mojon, irritam quandoque cessisse referunt Hatin, Baudelocque, Dugés, Hohl, qui postremus chlori liquidi iniectionem caeteris praestitisse affirmat, cum si placentae portionem, aut grumos sanguinis extrahere expediat, quo fraenum iniiciatur haemorrhagiae caeteroquin contumaci, ac tractu temporis lethali: tum si iners

uterus ad contractionem sollicitandus sit, interea dum nunc uteri ipsius orgasmum imminuere praestat, nunc atoniae occurrere appositis praesidiis.

Libero autem facto utero prout vel ultra modum ipsum dilatatum, in minus volumen redigunt tam fasciae laxo, ac pendulo abdomini debita compressione circumductae, quam ostii uteri moderata irritatio, adstringentibus fit locus maxime vero pessis stypticis substantiis imbutis in vaginam, et ipsum uteri ostium immissis. Caetero servandae regiminis, ac therapeutices regulae, quae generatim aliis haemorrhagiis pro varia earumdem indole conveniunt.

Demum therapeia puerperalis metrorrhagiae, ac vetularum nec nisi ratione caussarum, quibus compescendis arcendisque omni nitendum ope est, a generali huc usque tradita methodo haemostatica vix, ac ne vix quidem abludit.

DE HAEMATURIA.

I. Sanguinis nunc sinceri, liquidi, aut coacti, nunc urinae permixti, rubri aut obscuri aut atri coloris aut saniosi ex urinariis viis profluvium *haematuriae*, vel *haemuresiae* seu mictus cruenti nomine indicatur.

II. Qui autem ex urinario meatu profluit sanguis, maximi interest nosce utrum ex renibus (*nephrorrhagia*) ex ureteribus (*ureterorrhagia*) ex vesica (*cystirrhagia*) aut demum ex urethra (*urethrorrhagia*) *stymatosis*, dicta, *stimmatorrhagia*, *phallorrhagia* aliis; proveniat. Quod quamvis haud semper dilucide patere ab ipso initio lubenter demus; non desunt tamen indicia, quae diligenter attendenti minus difficilem diagnosim reddere valent; id assequi potissimum fas erit proëgumenas non modo sedet procatharticas causas, sgina anamnestica ac diagnostica non minus quam urinae qualitatem sedulo consideranti.

III. Et primo quidem haematuria renalis dolores non adeo atroces exhibere consuevit, nisi calculi in caussa sint, aut organica vitia. Rursus hanc consueverunt praecedere symptomata nephritidem aut renum morbos alios testantia: gravitas nempe; tensio ad lumbos, febris frequenter accedit. Demum ex renibus fluens sanguis intime cum lotio miscetur aegre subsidet dum quiescit, rubicundus tamen, fluidus, non concretus.

IV. Incerta sunt signa haematuriae uretericae. Lucem

tamen aliquam suffundunt symptomata illorum tractui respondentia; violentiae alterutrius, aut utriusque ureteris decursui illata: grumi sanguinis filiformes lumbrici ad instar eiecti.

V. Quot autem ex intercepto per ureteres urinae fluxu, ex grumis concreti sanguinis, uti ex calculis aliisque mechanicis impedimentis oriri queant incommoda, non est cur dicamus. Constat per observata, ureterum diametrum ita fuisse ampliatam, ut nunc grandis anserinae plumae, nunc etiam tenuis intestini magnitudinem sit adepta.

VI. Sanguis lotio dum calet mixtus, inter mingendum dolor acutus, atque ardor circa pubis regionem, dysuria, stranguria, spasmis non raro consociata, priapismus, frequens mingendi stimulus pauco eiecto lotio, tensio, ardor, dolor ad hypogastrium indeque ad perinaeum usque protensus doloribus immaniter crescentibus: sanguis nullo negotio a refrigerio subsidens in matula, atque in grumos concrescens signis haematuriae vesicalis accensentur iam ab ipso Hippocrate adumbratis dum inquit: (*qui sanguinem, unaque grumos saepe mingit ac stranguriam habet, unaque dolor incidit in aqualiculum, et interfemineum, huic vesicae vicinae partes laborant*). His in intensiore morbo accedunt dolores acuti, respiratio difficilis, inquietudo, anxietas, nausea, febris cum pulsu parvo, frequenti, contracto, sudores frigidi, lypothimiae, ani tenesmus, alias sanguis sub diris cruciatibus non multus, minus floridus ejicitur: nunc, mitioribus factis symptomatibus, urinae minus cruentae, clariores redduntur interea dum alias harum eiectio a concreto in grumos sanguine intercipitur, et mingendi nisus intolerabiles ac saepe inanes torquent,

praeterquamquod interdum concreti sanguinis, aut polyposae substantiae portio per urethram cum dolore, ac violentia distentam eiicitur, nec non densus ater sanguis non raro emittitur aliquando puriformi materiae mixtus et cito subsidens.

Quod haemorrhoidibus obnoxii, consueto ex istis vasis fluxu feriante, aut cohibito, haematuriae inde patere aliquando observentur hanc *haemorrhoidum vesicae* nomine vocarunt. Neque est sane, cur inficiemur, ex haemorrhoidalibus vasis non secus ac interdum uterinis, intercepto sanguinis fluxu, in vesicae vasa hunc irruere, per urethram dein evacuandum.

VII. Quandocumque demum citra mictum, aut mictionis nisum sanguis stillat, si aliqua urethrae pars ex attactu, ac compressione doleat, et sanguinem profundat, ex hac sanguinem profluere, indicatur. Caeterum defectus symptomatum quae haematuriam renalem, uretericam ac vesicalem stipant diagnosi quoque lucem offundit.

VIII. Supervacaneum diximus monere quanti intersit, sollicitum esse medentem, ne pro haematuria forsan imponat ruberrima, quae nonnullis in morbis, eiicitur urina, aut quando talis est post esum nonnullarum substantiarum, ut rubiae, ficus opuntiae, betae rubrae.

IX. Quemadmodum de aliis haemorrhagiis diximus, haematuria *activa* vel *passiva* est. Rursus *spontanea* audit vel *accidentalis*: modo *primaria* modo *secundaria*, *succedanea* etiam, seu *vicaria* interdum occurrit catameniorum maxime, ac haemorrhoidum: *critica* demum est, vel et frequenter *symptomatica* ex calculis, vulneribus, ulceribus, caeteris. Mirum interim

Cullenium spontaneam, ac primariam non admisisse haematuriam; contrarium siquidem evincunt auctoritates, confirmant observata.

Neque est profecto cur mucosa membrana viscerum uropoyeticorum, iisdem, ut aliae eius generis membranae, non pateant physiologicis, ac pathologicis conditionibus.

X. Constitutio corporis debilis: plethora: vita sedentaria, ut et sedentarium artis genus, quodque magnos exposcit nisus: irritabilitas ac sensibilitas praemagna organorum uropoieticorum: senilis aetas: animi pathemata fortiora saepe recurrentia: abusus vini, ac liquorum spirituosorum, veneris inter caussas haematuriae praedisponentes recensentur. Facilius etiam haematuriae obnoxii observantur haemorrhoidarii, ut et ipsi magis patent foeminae aberrationes catameniorum patientes, nec non illae quae iam hac functae sunt periodo, aut huius tempus properat.

XI. Ad caussas occasionales praesertim referuntur: omnia quaecumque sanguinis circuitum in uropoyeticis organis turbare valent uti sunt uropoieticorum organorum phlogosis, ulcera, horum varices, vulnera, imminutio, aut suppressio alicuius fluxus habitualis sanguinei, serosi, mucosi: repercussio exanthematum: vomitus vehemens, nimis acria diuretica uti sunt, therebintina, cantharides: diureticorum abusus, purgantia drastica, maxime aloetica, violentiae urinario apparatui, vicinisque partibus illatae, catheterismus, cauterisatio: ictus, contusiones, lapsus, ut et equitatio, vectio in rheda per vias saxosas, inaequales: oppiparae dapes: partus difficilis, vehementes vomendi conatus. Laesio demum mechanica quaecumque, maxime vero calculi symptomaticae hae-

maturiae caussas frequentissimas, ac maxime evidentes sistunt: rheumaticae affectiones, scorbutus, febres nervosae, pestis ipsam quandoque accersunt.

XII. Prout autem recensitae caussae actionem suam in hanc, vel in illam ex partibus, unde sanguinem profluere posse animadvertimus (par. II. seq.) exercent: prout ex praecedente unius potius, quam alterius ex uropoieticis organis, affectione, huius labefactata praesertim est functio, eruere licet, cur ex hoc potius, quam ex altero loco sanguis profluat; etsi inficiari nemo queat, continuitatis, et consensus ratione, saepe pathemata facile confundi: hinc cur calculi, aliaeve mechanicae, nec non interdum physico-chemicae caussae supra renes agentes sanguinis etiam ex ureteribus, aut ex vesica excretioni ansam praebeant. Caeterum sicuti urethrorrhagia ganeonibus, blenorrheas iterato passis magis familiaris; ita cystorrhagia frequentior iis, qui huius visceris cum acutis, tum chronicis affectionibus laborarunt, aut adhucdum detinentur, et sic de caeteris.

XIII. Caussarum tum praedisponentium, tum occasionalium diligens, ac severa scrutatio non secus ac antecedentium omnium, inhaerentium ac consequentium consideratio cum aegrotantis robore et peculiaritibus adiunctis comparata facile ducent ad diagnosim haematuriae activae, ac passivae. Secus huc referenda, quae de harum distinctione saepius tradita sunt.

XIV. Etsi metum gravem generatim incutiat sanguinis mictus si a renibus, ureteribus, a vesica proveniat, non ita, si ex urethra; non tanti tamen periculi est, si caussae leves praecesserint, si vicarius sit al-

terius evacuationis periodice praesertim recurrens, si ab accidentali caussa, exercitio nimio, si in statu plethorico, robusto, absque febre, nullo, aut levi dolore stipatus diu non perduret et nonnulla symptomata levet, aut protinus auferat. Criticam non raro haematuriam acutos inflammatorios morbos praesertim viscerum abdominis, maxime vero renum, vesicae solvisse cordatorum Clinicorum testantur observata. Quoad partem affectam spectat, minus periculosus est cruentus mictus, qui ex urethra, magis qui ex vesica, maxime si a renibus, et uretheribus deducitur.

Quod si a caussa nascitur, quae omnem artis potentiam eludat, si cum sanguine pus, sanies mingatur, si pessime oleat, si in febribus typhoideis, scorbuto, senibus, exhaustis, in morbis exanthematicis malignis superveniat haematuria, malum omen portendit. Caeterum in prognosi haematuriae facienda nunquam non obliviscenda contemplatio iuvantium, et laedentium, atque huc etiam revocanda, quae de quantitate, et qualitate sanguinis, aliisque adiunctis aestimandis de haemorrhagiis generatim attigimus.

XV. Ex hactenus allatis liquido patet, in curatione haematuriae in primis considerandum esse, utrum haec activa, an passiva sit. Porro haematuria, si activa sit vel violenta causa inducta, si, remotis, aut imminutis caussis quantumlicet, neque nimia ab eiecto sanguine debilitas ingruat, venae sectionem etiam iteratam, ac methodum antiphlogisticam exposcit, nitratis, ac iis quae irritationem in uropoietica organa excitare valent, ablegatis: digitalem purpuream, aquam coobatam laurocerasi, secale cornutum auspicato experti sunt cordati Clinici in activa haematuria, etsi in horum usu

prudenter incedendum putemus. Prodest quoque alvum expiare clysteribus emollientibus, non magna copia nec nimis calidis, non secus blandis eccoproticis, manna, sero lactis tamarindato: sub lumborum dolore proderunt etiam semicupia et cucurbitulae siccae vel scarificatae regioni renum, uti et, turgentibus haemorrhoidalibus vasis, hirudines sedalibus applicitae vasis, potissimum si haemorrhoidum aut catameniorum emansorum succedanea fuerit haematuria, quibus in adiunctis et vaporibus susceptis aliisque auxiliis apte hi fluxus evocandi; una simul animi corporisque quies, severa diaeta, horizontalis decubitus, potus mucilaginosi, temperantes imperanda.

XVI. Si iam nimia quantitas sanguinis effluxerit magnam inducens virium deiectionem aut si de passiva haematuria constet, ad tonica, styptica confugiendum; quare locus tunc fiet praescriptioni elixirii vitrioli, pulveris Doweri, *tannini* vel iis quae hoc scatent ceu decoctis corticis peruviani, ratanhiae, cascarillae, simarubae, uvae ursi, horumque extractis, catechù, gummi-kino, seri lactis aluminosi aut solutioni aluminis atque in contumaci morbo ipsi ferri sulphati, stypticis aquis nec non caeterorum pro re nata adstringentium varia formanda administratorum vel per se vel simul mixtorum appositis syrupis granatorum, de acido tartarico vel conserva rosarum, cornorum, cynorrhodon, citri Medicae, acetosellae similibus edulcatorum: huc faciunt quoque acidulae martiales aquae cum naturales tum factitiae: si gravior et discrimine plena haematuria sit, frigidis glacialibus potionibus eiusque generis externis embrocationibus ex trita glacie, Smuker frigido balneo hypogastrio, perineo, internis coxarum

partibus admoto utendum eiusdemque generis enemata usurpanda ut et iniectiones in vesicam, non neglectis actuosioribus revellentibus, cuiusmodi sinapismata, cucurbitulae siccae et una simul anodyna paregorica adhibenda, ubi cum virium collapsu spasmus et irritatio vexet: caeterum ex morbi natura, constitutione aegri, eiusque viribus, caussarum ingenio a therapeuta indicatorum selectus eruenda ratio, quod perinde in urethrorrhagia praestandum.

XVII. Haematuria a cantharidibus producta mucilaginosas potiones exposcit, ceu emulsio ex amygdalis dulcibus cum gummi arabico, decocta ex radicibus altheae, ex seminibus lini, ex salep, nec non clysteres ex hisce et analogis substantiis parati, balnea vel semicupia mucilaginosa, emollientia, paregorica.

XVIII. Si calculi haematuriae ansam praebeant, palam fit illius eradicativam curationem ab illorum eductione auspicandam esse, quod periti Chirurgi industria ope cystotomiae aut encheiresis lithontripticae Civiale, Heurteloup, Remusat studio et opera potissimum illustratae, est conficiendum. Secus, etsi inducias praebeat, facile recidivam patitur haemorrhagia. Interim nullum est dubium, quin suus sit locus semicupiis, ac fotubus, uti et clysteribus emollientibus, maxime si impactus in renibus, aut ureteribus calculus suspicetur, atque si acerbi dolores una vexent, et spasmi, prudenti anodynorum, atque opiatorum, administrationi.

XIX. Summi etiam momenti est attendere utrum grumi sanguinis, aut polyposae concretiones ad cervicem vesicae impactae, vel urethram obstruentes emollientes iniectiones, aut cereolorum, aut catheteris

per exercitatam dexteram, usum expostulent: ad rem vapores aquei e sella perforata suscepti proficui memorantur.

XX. In haematuria vero catameniorum aut haemorrhoidum vicaria, curandum ut, admotis hyrudinibus ano, vel pudendis, vaporibus emollientibus, similibus cohibiti fluxus revocentur. Quae vero in sequiori sexu ac aetate provectiori habitualis ferme facta periodice quandoque catameniorum vicibus fungitur, si immodica fuerit, opportune temperanda. In universum autem secundariae ac symptomaticae haematuriae iis occurrendum praesidiis, quae primario morbo abigendo causisque peculiaribus vincendis pares reputantur, idque semper obversetur menti praeceptum sedulam causarum procatharticarum potissimum habendam rationem esse in haematuriae therapeia cum essentialis tum symptomaticae, quibus sollicite removendis omni ope adlaborandum medico rationali, est. Interim ad haematuriae recursum arcendum, naviter causas omnes cum morales tum physicas vitare, apposita diaeta uti, acria alimenta, pocculenta spirituosa ac condimenta irritantia ablegare, clysteribus obstipam laxare alvum, plethorae cum universali tum topicae opportunis phlebotomiis occurrere ac quaecumque violentam vim organis inferunt uropoieticis religiose declinare et profluvii effectus apte tollere, potissimum praestabit.

INDEX

DE HAEMORRHAGIIS ET HAEMORRHEIS

DE HAEMORRAGIIS GENERATIM

Art. I. *Definitio, Divisiones, Symptomata* pag. 3
Art. II. *Causae. Prognosis* . . . » 12
Art. III. *Curatio* . . . . » 20

DE EPISTAXI

Art. I. *Symptomata, Divisiones, Caussae, Prognosis* . . . . » 32
Art. II. *Curatio. Prophilaxis* . . . » 40

DE HAEMOPTYSI

Art. I. *Signa, Symptomata, Divisiones* . » 49
Art. II. *Caussae, Prognosis* . . . . » 59
Art. III. *Duratio. Prophylaxis* . . . » 69
De haemoptysis, seu pneumonorrhagiae consectaria pneumonophtoe seu phthisi pulmonali » 82

DE HAEMATEMESI

Symptomata, Caussae, Divisiones, Prognosis » 107
Curatio. Prophylaxis . . . . . . » 113
De melaena seu haematemesi melaenode . » 120

DE HAEMORRHOIDIBUS

Signa, Symptomata, Caussae, Prognosis . » 127
Curatio. Prophylaxis . . . . . » 136

DE METRORRHAGIA

Art. I. *De metrorrhagia menstrua* . . » 147
Art. II. *De aliis metrorrhagiae speciebus* . » 153

DE HAEMATURIA

De haematuriæ hypotyposi, aethiologia, therapeia » 160

V. FANTOLINI Rev. Archiep.

V. Bellingeri Praeses.

Imprimatur.
Malaspina Moderator.

ERRATA			CORRIGE
Pag.	*Lin.*		
7	8	referenti.	referente.
7	15	effectubus	effectibus
28	11	ac prout opus repetita:	ac, prout opus est, repetita:
35	10	faucies,	fauces,
38	7	Quod si iuxto	Quod si iusto
55	26	multa tamen quae sunt	multa tamen sunt
61	2	periculis	particulis
63	15	proprius	propius
65	9	deiecto,	deiectio,
73	12	vel limoniorum:	vel de malis medicis
id.	13	decoctionibus,	decoctis,
75	8	debet,	debeat,
82	7	*phtisim*,	*phthisim*,
id.	21	sicuti graphise	sicuti graphice
109	28	infaretibus	infarctibus
113	ult.	applicationem,	applicatione,
135	25	oxoriri,	exoriri,
136	17	certe iis erimus,	certe ii erimus,
144	20	commendata.	commendatae.
151	29	stypicorum	stypticorum

11742